6
8- e
25

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMAN.
6
5 G
49

~~A. 6. 21~~
B. 19. 6
6 - 8 e 25°

# GEORGII

ACANTHII KELHAIMANNI

Partitiones in M.T.Ciceronis de Rhetorica libros quatuor ad C. Herennium, uniuerſam ferè huius rei artem complectentes, nunc primùm, & ſcriptæ, & in lucem editæ.

*

*Cum locuplete rerum ac uerborum in ijſdem memorabilium Indice.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE




LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM
ET GVIL. GAZEIVM.
M. D. LIIII.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

# GEORGII ACANTHII KELHAIMANNI AD

Ioannem Philippum Schertlium, clariſsimi & magnanimi uiri D. Sebaſtiani Schertlij à Burtenbach, Equitis aurati filium, iuuenem, tum nobilitate, tum ingenij dotibus clarum, De uſu eloquentiæ Proœmium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN communi rerum uniuerſitate, quæ omnia continentur, atq; etiam in partibus uitæ præcipuis, & ad ſocietatem hominum retinendam, fidem, iuſtitiam, diſciplinamq́; reip. non aliud uel præſtabilius, uel magnificentius bonum, ipſa illa dicendi facultate, parens omnium Natura produxit: neq; tam diuinum ac incredibile beneficium, ille uniuerſa atque omnia tuens & regens Deus, mortalium generi conceſsit. Nec etiam (ut mihi uidetur) tam hebeti ingenio ferè quiſquam eſt, ut cum rectè rem mente animoq; luſtrauerit, erudito quodã orationis genere, & ad omnem aurium uoluptatem animorumq́; motum, & ad commune iudicium popularemq́; intelligentiam accommodato opus eſſe non ſentiat, quo quoſcunque inter homines, quocunque in loco, quid res, quid tempus, quid cauſa ferat aperiamus: idq́; ita tenebimus, ut parua ſummiſſè agamus, tractemusq́; dicendo, & magna grauiter, & mediocria temperatè: atq; ita comparemus omnia iudicio & prudentia, ut inſtitutam noſtram ſententiam ſequantur iudices. Quod facere poterimus, ſi cum ampla ſententiarum grauitate, & maieſtate uerbo-

*rum, ad permouendos & conuertendos animos inſtructi & parati erimus: & in eo magis elaborabimus, ne ſit rebus ipſis diſpar & inæquabilis oratio. Sed ego nõ diſputo de eloquentia, quæ non ſit iuncta cum ſapientia: de uirtute animi loquor, de celeritate mentis, de lumine ingenij ad dicendum, quæ omnia in eloquenti abſolutiſsima eſſe debent. Cuius uis ac facultas non ſolùm plena quadam in oratione, ſententiarum uarietate, & grauitate uerborum ornata atq; perpolita uerſatur, ſed multo etiam magis cùm in foro cauſisq; ciuilibus, tum in concione: dicendi prudentia religionem tuens, remp. noſtram regens, hominum uoluntates moderans. Atq; ego & in hoc ipſo aſſentior, & in alijs quoq; intelligo. Latino ſermone uſitato, & à uulgari etiam facilitate dicendi intermiſſo, elegans quoddam & eruditum orationis genus perſequi (quale Theophraſtus Xenophonq; reliquerunt) ipſum illud eſſe quidem non in mediocri laude ponendum: atqui hæc in eloquenti poterit eſſe omni laude cumulata oratio, ſi incorrupta quadam Latini ſermonis integritate, uſitatis uerbis, proprijs, ſapientiſsimis ſententijs, genere alia graui, alia tenui, alia temperato inſtructa ſit, & ſuis iuncta numeris, & ob eam cauſam rectè quidem à Cicerone, prudenterq; definiendo complexa eſt copioſè loquendi ſapientia, atque artium maximarum regina eloquentia. Nulla ſancta religio ſocietatis eſt, nulla conſpiratio hominum atq; conſenſus in republica bene gerenda, nulla deniq; amicitia ſenatus cum optimis ciuibus, quàm non eloquentia conſeruet, regat & tueatur. Nec uerò gens tam immanis atque fera ulla eſt, quam non, etiamſi fuſa per agros ac diſperſa uagetur, tantumq; habeat ut ſibi uictu ferino uitam propaget, nec ratione ac ingenio quicquam adminiſtret, ſed pleraque*

*raque uiribus, eloquentia mitem reddat & manſuetam. Quid? an non homines diſsipatos inter ſe primò domicilijs, deinde ſanctiſsimæ ſocietatis religione, tum uerò ciuitatum atq; regionum amicitia, coniunxit eloquentia?* Nam *& ea ex honeſtiſsimis cauſis nata, atq; optimis rationibus profecta, pòſt frequentata delectatione, in omni pacata & libera ciuitate ſummam uim habuit ſemper ac poteſtatem: & in rep. inſtituenda, de legibus, de æquitate, de frangendis hominum cupiditatibus, confirmandis moribus, tantum luminis attulit immanibus, ac barbaris nationibus, ut homines, & rationis & orationis ferè expertes, à conſuetudine beſtiarum conuerteret, & ad diuerſas uitæ conditiones traduceret.* Ac *quis ignorat, homines ſummis ingenijs præditos, qui remp. gererent, tutam tranquillamq; pacis & ocij uitam non conſecutos eſſe ſummo eloquentiæ ſtudio, ac præclara moderatrice rerum omnium ſapientia? Quis enim eſt, qui regere ac gubernare hominum conſilia poſſet, quæ ad omnes res & priuatas & publicas pertinent, niſi ſapientiæ præſidio eſſet eloquentia? Quis enim* Theologus, *qui parens bonus ac paſtor fidelis eſſe deberet, de religione, de rebus diuinis, cærimonijsq; ſacris dogmata & quaſi* θεωρήματα *exponet, aut in concione ad populum, aut priuatim ad Senatum, aut ad regem aliquem in concilio, niſi poßit dicendo tenere hominum cœtus, allicere mentes, uoluntates impellere, atq; ita omnia ad uulgarem popularemq; ſenſum quodam orationis nitore accommodare? Quis philoſophus, qui in rebus occultis, adeoq; ab ipſa natura inuolutis uerſatur, nobiliſsimam illam atque immenſam rerum omnium cognitionem, procreatricem & quaſi parentem, quàm* φιλοσοφίαν Græci, Latini *ſtudium ſapientiæ dicunt, in lucem admirationemq; adduceret, niſi*

*mediocri quodam dicendi ſtudio flagraret? Quid multa? Solem è mundo tollere uidentur, qui hanc opinionem mentibus ſuis, ſine ulla ſapientiæ laude comprehendunt (quales hæc ætas noſtra multos imperitos barbarosq; habet, qui ex opinione, ut Cicero ait, multa, ex ueritate pauca æſtimant) ut tollatur eloquentia de republica, qua nihil tam admirabile, tam magnificum, tam regium, nihil porrò tam neceſſarium Dei opt. max. conceſſu & munere hominum ingenijs tributum eſt. Quæ poteſt eſſe communio uitæ, ſublato dicendi ſtudio? quæ porrò neceßitudo poteſt eſſe inter ſingulos homines, & ciuitates, & nationes, & gentes? Is enim in reip. bene inſtituta magnificus atq; præclarus erit, mea ſententia, qui rem, quæcunque deuenict in iudicium, prudenter uideat: oratio uerò eius habeat & in ſermone magnam eloquendi grauitatem copiamq;, & in dicenda ſententia ſummam prudentiæ mediocritatem, quod diuinitatis cuiuſdam eſſe uidetur. Ac ſapientißimè quidem ueteres magiſtratus, Imperatoresq; ex una hac re laudem & maximam gloriam quærere ſtudebant, ſi ciues eorum doctrina & ſapientia in ciuitate non egerent. Vidit hoc prudenter Cicero, res in ciuitate duas plurimum poſſe: quarum una eſt ſumma gratia, altera eloquentia. Platonis quidem diuini elogium eſt, quo fore beatas reſp. putauit, ſi aut docti & ſapientes homines, eas regere cœpiſſent: aut qui regerent, omne ſtudium in doctrinam & ſapientiam conuertiſſent. Eſt etiam illud Platonis uerum, quod de Republica dialogo quinto legitur, aut philoſophos regnare, aut reges philoſophari oportere, ſi ciuitas debeat eſſe fœlix. Nam certè (ut uerè dicam) ſi ſtudia & uſus peritißimorum in ciuitatibus inſtituendis non ualerent, ſi patrocinium eloquentißimorum: nihil de iure, de legibus,*

*bus, de iudicatis, nihil de ſapientiß. & clariß. uiris, quos Græci ſcriptores in libros annalium retulerunt: de uetuſtate, de more, nihil de rebus geſtis & bellis, nihil denique de uita eorum qui in cauſis uerſati ſunt, ad poſteritatis memoriam proditũ eſſet. uideo enim in Aeſchinis & Demoſthenis orationibus, qui in ſuis ciuitatibus clari & magni fuerunt, propter uerborum copiam, & expeditam, ac fluentem quodam modo celeritatem, quorum uim diuinam quandam habebant orationes, nec antiquitatis imagines, exemplorumq́; memoriam, neque æquitatis, neque legum, aut rerum maximarum neglectam eſſe. Neque maximæ res geruntur ab ijs, qui hodie deſignati magnis imperijs, ac prouincijs præſunt, nec ullam opem communi ſaluti afferre poſſunt, ſi in conſilio capiendo, dandoq́; ignorant, qua oratione, qua conſtantia, qua grauitate ſententiam dicant ad illud, in quo quaſi certamen eſt controuerſiæ. Quòd ſi nec priuatis in negocijs, in quibus deliberare homines & conſultare de rebus proprijs ſolent, ac ſuis t nec in conuentu ſanctißimi ſenatus, oratorum ſtudia & doctrina liberalißima niti cœpiſſet, quid propter fidem, ueritatem, miſericordiam in iudicio deberet is, qui nec de iure, de æquitate, nec de ueteri repub. & alijs ciuitatibus, aliquid cognitum haberet? quo modo οἰκονομίαν, id eſt rei domeſticæ adminiſtrationem, inſtituet is, qui rationem ſuæ uitæ non poßit reddere? Quamobrem ſi rei totius publicæ dignitas, leges, inſtituta, mores, ius ex illa ipſa orandi facultate, ſingulariq́; loquendi ſapientia, quam eloquentiam hic uoco, non penderent, ſed ex inſipientium uulgari ſermone, & inani non modò oſtentatione, ſed etiã audacia regerentur, profectò nulla ſocietas in ciuitate maneret, nulla fortunæ communio, nullum commune conci-*

*lium: quæ omnia ad concordiam ciuium pertinent. Nunc uerò, cum id ita perſpicuum ſit, ut oculis iudicare poßimus, eloquentiæ moderatione, qua & feras quoque immanes flecti atque inflammari, nedum homines uidemus: non ſolùm elegans quoddam orationis genus, flumen ſententiarum & optimorum uerborum, ſed & humanum cultum ciuilemq́;, fidem, iuſtitiam, & uniuerſæ reip. diſciplinam contineri, adoleſcentes in id ſtudium multum operæ conuertant, ut ſi aliquando ad cauſas & priuatas & publicas adire cœperint, eam laudis uiam imitentur, quam maiores noſtri tritam reliquerunt. Sed commonſtratis eloquentiæ maximis præmijs, quibus eam rebus aſſequi poßimus, nihil eſt neceſſe ut diſputemus: cùm minimè dubium ſit, ſine omnibus uel naturæ, uel doctrinæ, uel exercitationis præſidijs, ad dicendum inſtructum & paratum eſſe neminem. De præceptis autem ego dicam, quod ſentio, ut ea quæ ſcripſi, intelligantur ad rem pertinere. Et primum illud quidem, etiam poſſe quædam dici ſine præceptis ſuis, non repugnabo, quæ Ariſtoteles ἄτεχνα, Cicero aſſumpta uocat, ut teſtimonia: quæ etiamſi in inueniendo ſine arte putantur, ea ipſa tamen arte tractanda ſemper iudicaui. Nam quis eſt qui neſciat, non eſſe artem, ac obſeruationem quandam earum rerum, quæ in dicendo ualent? Semper enim dicendi præcepta, & quaſi uiam, quæ ad eloquentiam ferret, ſtudioſis ſuis maiores tradiderunt. Et quoniam in omnibus rebus ingenij bonitas imitatur ſæpe doctrinam, ars porrò naturæ bona ipſa corroborat & auget: ego hanc uim, & hanc utilitatem intelligo eſſe in præceptis, ut ijs quæ natura, quæ exercitatione, multoq; uſu conſecuti ſumus, etiam iſtam locorum rationem adhibeamus, quæ in arte traditur, habet enim quædam,*

dam, ut Cicero ait, quaſi ad commonendum oratorem, quò quidq; referat, & quò intuens, ab eo quodcunq; ſibi propoſuerit, minus aberret. Ars enim dux certior eſt, quam natura, ut ipſe de Finibus teſtatur. Ac mea quidem ſententia iſti ipſi libri ad C. Herennium (qui Ciceronis quidem nomine circumferuntur, Cornificij tamen cuiuſdā eſſe poſſunt) hac in re perutiles ſunt ijs, qui tyrones ac paulò rudiores accedunt ad maiora. Conſtant enim certis monitis, & præceptis peracutis, quæ habent ordinem, quæq; adoleſcentibus aditum omnemq; rationem ad bene dicendum aperiunt. Hic ego non dico, me in iſtis ipſis Partitionibus, quas diligenter elaboratas etiam quàm elucubratas emiſimus, artem aliquam adhibuiſſe: neq; quid in his ego præſtiterim, in oratione mea pono: ſed aliorum ſit iudicium. Ego uerò ſic ſtatuo (ut hoc ſaltem de me dicam) nihil eſſe in hiſce Partitionibus omnibus tam uile, quod non fructus uberrimos iuuentuti præbeat: & promittere quidem iſtud auſus ſum, ſi quis uicinam huius rei atq; finitimam diſſerendi artem coniungat, quam græco uerbo διαλεκτικὴν appellant, ad omnem eruditionis gloriam inſtructum, & paratum fore: modò illud meminerit ſemper, ut reliquarum rerum, ſic horum omnium, matrem eſſe diligentiam. Tu uerò IOANNES PHILIPPE ornatiſsime, hæc ipſa omnia puer mirificè arripuiſti, ut te quidem ego confidam omnibus iſtis uirtutibus, quas oratione mea complexus ſum, excellentem fore. Nam cum annis ſuperioribus tyro ac rudis in Academiam Tubingenſem ueniſſes, ibiq; optimis à pueritia diſciplinis atque artibus ſtuduiſſes, & in his elaboraſſes, & cum latinis græca coniunxiſſes, in quibus te multum natura iuuabat, quaſi auidus ſemper aggredi ad diſcendum uidebaris.

*Deinde cum ſuperiore æſtate è Saxonia decedens, Baſileam ueniſſem, & eò mihi de profectione tua in Galliam eſſet allatum, uehementiſſimè animum tibi ad uirtutes patris (uiri omnium clarorum uirorum, totiusq; iudicio Germaniæ, cùm prudentia, & iuſtitia, & fide, tum uerò conſilio, eloquentia, & grauitate, omniq; genere uirtutis ampliſſimi) accendi ſimul intellexi, ex quo magnum atq; incredibile mei in te amoris & iudicij cœpi gaudium. Quæ fuit cauſa, cur hunc meum, tenuem quidem illum & conciſum laborem, nomini tuo dicarem, teq; hoc munuſculo donarem. Eo etiam tibi libentius dicari uolui, quòd apud omnes Græcos hic mos fuit, ut ijs hominibus hunc honorem tribuerent, quos illi charos putarent: qui tibi propter tuam ſingularem erga me uoluntatem, beneuolentiamq; defertur & datur. Suſcipies igitur haſce noſtras Partitiones,* IOANNES PHILIPPE *optime, libenti animo, quæ tibi nuncupantur, non ut præcepta de ratione dicendi tradant, qui & hæc ipſa melius, & multò maiora alia cognoſcis: ſed ut mei in te animi & uoluntatis qualecunq; teſtimonium eſſe poſſint.*

*Baſileæ, Cal. Iunij. Anno* M.D.XLIX.

GEOR

# GEORGII ACANTHII KELHAIMANNI Partitionũ in M T.Ciceronis de Rhetorica libros quatuor ad C.Herennium, Lib.primus.

## QVID SIT RHETORICA.

VIS *oratoria, quam Græci* ῥητορικὴν *appellant, eſt bene dicendi ſcientia, in quæſtione ciuili.* Deducitur autem ἀπὸ τοῦ ῥέω, *quod eſt fluo: & inde* ῥητορικὴ, *quam in latinum aliqui transferentes, tum oratoriam, tum oratricem,* Cicero *artificioſam eloquentiam uertit: quaſi ex oratoris lingua melle dulcior fluat oratio.*

## QVID DISCRIMINIS SIT INter Rhetoricen & Dialecticen.

*Inter Rhetoricen & Dialecticen hoc intereſt, quod inter manum in pugnum compreſſam, & diductam: quia latius loquuntur Rhetores, Dialectici autem comprehenſius, qui res ſuas per* σκιογραφίαν *tanquam adumbrant: quibus illi quaſi perpoliendi quendam ornatum adhibere maximè poſſunt. Eſt igitur diſputandi ratio & loquendi (ut ait Cicero) Dialecticorum: oratorum autem dicendi & ornandi, qui de omnibus rebus poſſunt uariè copioſeq́; dicere.*

QVID

## QVID RHETOR, SOPHISTES, Orator, & quod eorum officium.

*Rhetor eloquentiæ interpres & doctor, uir opinor ualde exercitatus & bonus eſt, qui dat rationes certas & præcepta ſuis tyronibus copioſè & ornatè dicendi. Vis & officium eius eſt, ut adoleſcentes doceat, inſtituat, & ad omne dicendi munus inſtruat.*

*Sophiſtes, ſic olim appellatus, qui aut oſtentationis aut quæſtus cauſa philoſophabatur, eſt apud quem ex forenſi uſu propè oratoria dicendi exercitatio conſuetudoq́; eloquendi diſcitur. Officium eſt id, quod facere debet ſophiſtes, ut adoleſcentes, qui naturam habebunt idoneam atque ingenium ad dicendum, in forum & ad cauſas deducat, ibiq́; demonſtret quem imitentur: atq; ita ut quæ maximè excellant in eo, diligentiſsimè perſequantur, illumq́; imitando effingant.*

*Orator plenus atq; perfectus is eſt, qui quæcunq; res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, compoſitè, ornatè & memoriter dicit, cum quadam etiam actionis dignitate. Mediocris autem, qualem hic inſtituit, is eſt, qui de his rebus poteſt dicere, quæ res ad uſum ciuilem moribus ac legibus conſtitutæ ſunt, cum aſſenſione auditorum, quoad eius fieri poteſt.*

## MATERIA ORATORIS quæ ſit.

*Si de omni re quæcunque in diſceptationem quæſtionemq́; uocatur, eloquendi maxima uis ſoli oratori conceditur, conſequens id certè dabimus, huic quaſi materiam quam tractet, & in qua uerſetur, propoſitam eſſe quæſtionem, & omnem maximeq́; ciuilem, circa quam oratoris*

potiſs

*potiſsimum uerſatur oratio. is enim, ut magni rhetores præcipiunt, propriam unam materiam non tenet hodie, ſed quæ tractanda ſumit, ut ſua poſsidet ac efficit. opus eius eſt oratio: hæc explicatur quæſtione.*

## DE QVAESTIONE.

*Quæſtio, quam Græci* ζήτημα πολιτικὸν *uocant, caput eſt totius diſceptationis, quò referri omnes argumentationes oportet. quoniam in omni cauſa conſtituitur quaſi fundamẽtum rei, de qua futura ſit oratio. Eſt autem omnis ratio (ut ait Craſſus) in qua eloquentia uerſatur, aut de infinitæ rei quæſtione, aut de re certis in perſonis, locis, ac temporibus poſita.*

*Quæſtionum igitur ſpecies ſunt duæ in quibus eloquentia uerſatur*

*Infinita, quæ Græcis* θέσις, *Ciceroni propoſitum, cõſultatio, id eſt quæſtio ciuilis ſiue uniuerſalis appellatur, ſine perſonæ, loci, tẽporis, & horũ ſimiliũ deſignatione, in utranq; partem tractatur hoc modo: Liceat'ne uim ui depellere? An fas ſit adulterũ occidere? An ſit ducenda uxor? Sit'ne eloquentia utilis, nécne? quæ omnia complexum perſonarum non habent, niſi latentem, nec tamen cauſæ dici poſſunt.*

*Finita, quæ Græcis* ὑπόθεσις, *latinis cauſa, controuerſia, ſiue ſpecialis dicitur quæſtio, ex complexu rerum, perſonarum, loci, temporis, & horum ſimilium deſignatione, conſtat, hoc modo: Iuréne inſidiantem Clodium occiderit Milo? & an Numius noctu deprehenſum Gracchum iure interfecerit? An Thaleti Mileſio ducenda ſit uxor? An eloquentia iuriſperito ſit utilis?*

De

## DE INFINITA QVAESTIONE.

Θέσις alia eſt.

- Cognitionis: eius ſciẽtia eſt finis: ut, ueri ne ſint ſenſus. cuius inquirendi genera ſunt tria:
  - Sit, nécne: ut, ius in natura ſit, an in more. in quo coniectura ualet.
  - Quid ſit: ut, ſit'ne ius id quod maiori parti ſit utile. in quo definitio ualet.
  - Quale ſit: ut, iuſtè uiuere ſit nécne utile. in quo ratio ualet.
  - Ex ijs demũ ſtatus, ad quos cuncta referuntur, emergunt tres: coniecturalis, definitiuus, qualitatis: quorũ aliquis in omni cauſa tractatur.
- Actionis, quæ refertur ad efficiendũ quid: ut ſi quæratur quibus officijs amicitia colenda ſit. cuius duo ſunt genera:
  - Vnũ ad perſequendũ aliquid, aut declinandum: ut, quibus rebus adipiſci gloriam poſsis, aut quomodo inuidia uitetur.
  - Alterum, quod ad aliquod commodum, uſumq́; refertur: ut, quemadmodum ſit Reſp. adminiſtranda: aut, quemadmodũ in paupertate uiuendũ.

DE

## DE FINITA QVAEſtione.

*Finitæ quæſtiones, id eſt* ὑποθέσεις, *quas Cicero controuerſias ſiue cauſas appellat, forenſi diſceptatione tractantur, conſtantq́; laudatione, deliberatione, & lite.* Ex *his naſcuntur,*

| | | |
|---|---|---|
| *Cauſarum genera tria:* | Demonſtratiuum<br>Deliberatiuum<br>Iudiciale. | *Eſt autem omne genus quæſtionis ad hæc cauſarum genera ducendum.* |

## LEX QVAEDAM DE QVAEſtionibus.

*Sed de omni quæſtione una regula eſt, quam cupio in tractandis cauſis adoleſcentibus eſſe notiſſimam: Omnis cauſa ad propoſitum eſt reuocanda tanquam ad uim uniuerſi generis.* Ideo ait Cicero, in cauſa eſſe propoſitum: *Sed eſt conſultatio, inquit, quaſi pars cauſæ quædam & controuerſiæ. Ineſt enim infinitum in definito, & ad illud tamen referuntur omnia. Id ita ſumitur, Iuréne inſidiantem Clodium occiderit Milo, quæſtio eſt finita: quæ cum in diſceptationem quæſtionemq́; uocatur, niſi ad infinitam referatur, explicari non poteſt. Inſidiatorem iure interfici, quæſtio eſt infinita, hanc niſi probaueris, finita controuerſum manebit.*

DE

## DE CAVSIS.

Quas cauſas oratorem reci-
pere oporteat.

Tria ſunt genera cauſarũ, quæ recipere debet orator.

*Demonſtratiuũ, Græcè ἐπιδεικτικὸν, quod tribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem uel uituperium. Cicero in Part. exornationem appellat: quæ quia in laudationes maximè confertur, proprium iam habet ex eo nomen, & ἐγκωμιαστικὸν à Græcis dicitur, cuius tempus præſens eſt. orator enim ad id ſolum quod præſens eſt, & laudem & uituperium accommodat.*

*Deliberatiuũ, Græci συμβουλευτικὸν καὶ δημηγορικὸν genus cauſæ nominant, quod in conſultatione poſitum, habet in ſe ſuaſionem & diſſuaſionem, cuius tempus eſt futurũ: de quo uterq;, tum ſuadens tum diſſuadens inquirit aut conſultat, conducat id néene.*

*Iudiciale, δικανικὸν, quod poſitum in controuerſia, habet accuſationem, aut petitionem cùm defenſione. Huic generi tempora præterita tribuunt rhetores. Cùm enim cauſa conſtituitur, tunc illud quod præterijt ſiue factum eſt, alter accuſat, alter defendit.*

Quas

## QVAS RES SIBI PROPOnat in iſtis tribus generibus orator.

*Eſt autem in*

- *Demonſtratiuo.*
  - *Finis cauſæ*: Honeſtum / Inhoneſtum.
  - *Oratoris officium*: Laudare / Vituperare.
  - *Motus, ad quem omnia referuntur, nempe delectatio.*
- *Deliberatiuo*
  - *Finis cauſæ*: Vtile / Inutile.
  - *Oratoris officium*: Suadere / Diſſuadere.
  - *Motus*: Spes / Reformidatio.
- *Iudiciali*
  - *Finis cauſæ*: Iuſtum / Iniuſtum.
  - *Oratoris officium*: Accuſare / Defendere.
  - *Motus*: Clementia / Sæuitia.

*Eſt igitur animaduertendum, in omni cauſarum genere propoſito tria conſideranda oratori maximè eſſe: in primo res quæ propoſita eſt cernitur, in altero officium oratoris, in tertio is apud quem agitur cauſa: id eſt, auditor, ad quem cauſæ finis præcipuè adhibendus eſt.*

re ppoſita, off.m oratoris Auditor. ſunt conſidor

## DE PARTIBVS RHETORICAE.

### Rhetoricæ partes ſunt quinque, in quibus maximè perſpicitur uis oratoris.

I. *Inuentio, eſt excogitatio rerum uerarum, aut uerisimilium, quæ cauſam probabilem reddant.*

II. *Diſpoſitio, eſt ordo diſtributio rerum, quæ demonſtrant quid quibus in locis ſit collocandum.*

III. *Elocutio, eſt idoneorum uerborum & ſententiarum ad inuentionem accommodatio.*

IIII. *Memoria, eſt firma animi rerum & uerborum diſpoſitionis perceptio.*

V. *Pronunciatio, eſt uocis & uultus & geſtus moderatio cum uenuſtate.*

### QVIBVS RHETORICA conſummetur.

*Vim dicendi tria aſſequi poßűt.*

*Ars, eſt præceptio, quæ dat certam uiam, rationemq; dicendi. Cicero hanc alibi rationem, doctrinam appellat. conſtat enim certis monitis & præceptis.*

*Imitatio, eſt qua impellimur cum diligēti ratione, ut aliquorum ſimiles in dicendo eſſe ualeamus. de qua 2. de Orat. ſic ait:* Ergo hoc ſit *primum in præceptis meis, ut demonſtremus quem imitetur: atq; ita ut quæ maximè excellant in eo quem imitabitur, ea diligentißimè perſequatur: tum accedat exercitatio, qua illum quem antè delegerit, imitando effingat.*

Exerc

*Exercitatio, quam 1. de Orat. diligentiam uocat, eſt aſsiduus uſus, conſuetudoq́; dicendi. Vidit hoc prudenter Craſſus apud Ciceronem 2. de Orat. ea maximè animis affigi noſtris, quæ eſſent domeſtica exercitatione impreſſa, atque aſsiduo ſtylo dicendiq́; uſu comparata.*

## DE INVENTIONE cauſæ iudicialis.

### Orationis partes ſex, quas ad inuentionis rationem accommodat.

I. *Exordium, eſt principium orationis, per quod animus auditoris, aut iudicis conſtituitur, uel apparatur ad audiendum.*

II. *Narratio, eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum expoſitio.*

III. *Partitio, eſt per quam aperimus quid conueniat, & quid in controuerſia ſit: & per quam exponimus quibus de rebus ſimus dicturi.*

IIII. *Confirmatio, eſt noſtrorum argumentorum expoſitio cùm aſſeueratione.*

V. *Confutatio, eſt contrariorum locorum diſſolutio.*

VI. *Concluſio, eſt artificioſus terminus orationis: quarum prima & poſtrema ad motum animi ualet, qui eſt initijs & perorationibus concitandus: ſecunda narratio, tertia partitio, quarta confirmatio, & quinta confutatio, fidem facit orationi. Prudens enim ac diligens orator duo agit: aut fidem facit, & docet rem: aut animos commouet, & impellit auditores.*

## DE EXORDIIS.

Exordiorum duo ſunt genera:

*Principium, quod Græci προοίμιον appellant, cùm ſtatim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum: atq; ita, ut apertis rationibus, & ſtatim uel attentos, uel dociles, uel beneuolos auditores habere poßimus.*

*Inſinuatio, quæ ἔφοδος Græcis dicitur, eſt oratio per dißimulationem & circuitionem obſcurè ſubiens auditoris animum: atq; ita, ut per hanc occultè uel attentos, uel dociles, uel beneuolos auditores comparare liceat.*

## QVANDO RECTE EXordiri poſſumus.

*Cauſa poſita, genus cauſæ eſt conſiderandum. Nam qui benè exordiri cauſam uolet, eum neceſſe eſt genus ſuæ cauſæ diligenter antè cognoſcere, quò rectius ipſius ex natura, ueluti neruis ac uiſceribus, exordium ducere queat. Quod cùm ita ſit, conueniet exordiorum rationem ad omne genus cauſæ rectè accommodari: quæ cùm tam diuerſa ſint, exordiri quoque diſpari ratione in unoquoque genere conſequens erit.*

## DE QVATVOR CAVSARVM qualitatibus, & ab his ratione exordiendi.

Genera

Honeſtũ eſt,cũ aut id defendimus,quod ab omnibus defendendũ uidetur:aut id oppugnamus,quod uidetur ab omnibus oppugnari poſſe:ut pro uiro forti contra parricidam. In eo autem genere licebit rectè uel uti,uel non uti principio. Si uti principio placebit,aut id oportebit oſtendere,quare cauſa ſit honeſta, & beneuolos auditores habebimus:aut breuiter quibus de rebus ſimus dicturi exponere,& dociles auditores faciemus. Sin prætērire principium uolemus, aut à narratione incipiemus, aut à lege, aut à ſcriptura, aut ab aliqua firmiſſima ratione noſtræ dictionis.

Genera cauſarum ſunt quatuor, quibus omnis exordiendi ratio accommodatur:

Turpe, cùm aut honeſta res oppugnatur, aut defenditur turpis. In quo non aperto exordio, ſed inſinuatione utendum eſt, de qua poſterius: niſi quid nacti erimus, quare,aduerſarios criminando, beneuolentiam captare poſſimus.

Dubium, cùm habet in ſe cauſa & honeſtatis & turpitudinis partem. Quòd ſi tale genus cauſæ habebimus,à beneuolentia principium conſtituemus, ne quid turpitudinis pars illa nobis obeſſe poſſit.

Humile,cùm contempta res affertur. Quo in genere contemptionis tollendæ cauſa, auditores faciemus attentos. Cauſarum genera de In.quinq; poſuit: honeſtum,humile,anceps uel dubium,admirabile,& obſcurum. Honeſtum ſua natura ad acquirendam beneuolentiam ſatis ualet,in humili attentum, in ancipiti & admirabili beneuolum iudicem,in obſcuro dociles auditores per principium conparare licebit.

Humilis attentos
Dubia beneuolū
Obſcura dociles
Honeſta pſe acqrit beneuolētia



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## DE LOCIS PRINCIPIORUM.

*Prudens ac diligens orator, antequam de re ipſa dicat, hoc ſuſcipere ac polliceri uidetur, ut præparet animos auditorum atq; iudicis ad audiendum: quod fit per principia, quæ ducuntur aut ex perſonis, aut ex rebus ipſis. Sumuntur autem trium rerum gratia, ut amicè, ut intelligenter, ut attentè audiamur, ex quibus iudicare facilè eſt, ea tribus conſtare*

Locis, { *Attentionis*
*Docilitatis*
*Beneuolentiæ.* }

## QVOMODO ATTENTOS, dociles, ac beneuolos auditores comparare poſsimus.

*Auditores habere poſſumus* {

*Attentos, ſi pollicebimur, nos de rebus magnis, nouis, inuſitatis uerba facturos: aut de ijs rebus que ad Rempublicam pertineant, aut ad eos ipſos qui audient, aut ad Deorum immortalium religionem, aut ad pietatem nos eſſe dicturos: & ſi rogabimus, ut attentè audiant: & ſi numero exponemus res, de quibus dicturi ſumus.*

*Dociles, ſi ſummam cauſæ breuiter exponemus, & ſi attentos eos faciemus. nam docilis eſt is, qui attentiſsimè paratus eſt audire.*

*Beneuolos, ſi aut ex perſonis, aut ex rebus ipſis principia ducuntur.* }

## BENEVOLENTIA EX quibus locis comparetur.

Beneu

Beneuolos auditores facere quatuor modis poterimus:

A perſona

*Noſtra, ſi noſtrum officiū ſine arrogantia laudabimus, aut in* Remp. *quales fuerimus, aut in parentes, aut in amicos aut in eos ipſos qui audiunt, aliquid referemus: dummodo hæc omnia ad eam ipſam rem, de qua agitur ſint accommodata. Item ſi noſtra incommoda proferemus, inopiam, ſolitudinem, calamitatem: & ſi orabimus ut nobis ſint auxilio, & ſimul oſtendemus, nos in alijs ſpem noluiſſe habere.*

*Aduerſariorū, ſi eos in odium, in inuidiam, in contemptionem adducemus. In odium, ſiquid eorū ſpurcè, ſuperbè, perfidioſè, crudeliter, confidenter, malitioſè, flagitioſè factum proferemus. In inuidiam, ſi uim, ſi potentiam, factionem, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hoſpitium, ſodalitatem, affinitates aduerſariorū proferemus, & his adiumētis magis, quàm ueritate eos confidere aperiemus. In contemptionem, ſi inertiam, ignauiam, deſidiā, luxuriam aduerſariorum proferemus.*

*Auditorum, ſi res eorum fortiter, ſapienter, manſuetè, magnificè iudicatas proferemus: et ſi, quæ de his exiſtimatio, quæ iudicij expectatio ſit, aperiemus.*

*A rebus ipſis, ſi noſtram cauſam laudando extollemus, aduerſariorum; per contemptionem deprimemus.*

## DE INSINVA-tione.

*De inſinuatione autem,ut erat propoſitum, nunc dicatur,qua quidem nihil eſt oratori artificioſius. Incidũt enim ſæpe tempora, & præſertim tùm turpem cauſam habemus,quibus auditores nec attentos,nec dociles, nec beneuolos comparare licet,ſed inſinuatione utendum eſt, ut ab ijs quæ animos iudicum lædunt, orationem inflectamus, & cauſæ turpitudinem perſonæ commendemus dignitate. Sunt autem tria tempora, quibus non principio, ſed inſinuatione uti poſſumus: quæ diligenter ſunt conſideranda.*

## TRIA INSINVATIONIS tempora.

*Vnum, cùm turpem cauſam habemus, hoc eſt, cùm ipſa res animum auditoris à nobis alienat, exordiri poterimus his rationibus: rem, non hominem: aut hominem, non rem ſpectari oportere: non placere nobis ipſis, quæ facta dicantur ab aduerſarijs,& eſſe indigna, & nefaria. Deinde, cùm diu rem auxerimus, nihil ſimile à nobis factum eſſe oſtendemus: aut aliquorum iudicium de ſimili cauſa,aut de eadem,aut de minore,aut de maiore proferemus. Deinde ad noſtram cauſam pedetentim accedemus, & ſimilitudine conferemus.Item,ſi negabimus nos de aduerſarijs, aut de aliqua re eorum, dicturos, & tamen occultè dicemus,interiectione uerborum.*

*Alterum, cùm animus auditoris perſuaſus eſſe uidetur ab ijs qui antè contradixerunt. Quare ſi odore quodam*

*ſuſpicionis*

*ſuſpicionis fidem factam auditoribus contra nos ſenſerimus, his rebus nos inſinuabimus ad cauſam. De eo, quod aduerſarij firmiſſimum ſibi adiumentum putauerint, primùm nos dicturos pollicebimur, aut ab aduerſarij dicto exordiemur: & ab eo maximè, quod ille nuperrimè dixerit: aut dubitatione utemur, quid potiſſimum dicamus, aut cui loco primùm reſpondeamus cum admiratione.*

*Tertium, cum defeſſus eſt eos audiendo, qui antè dixerunt, ab aliqua re, quæ riſum mouere poſſit, exordiemur: ut ab apologo, à fabula ueriſimili, imitatione, deprauatione, inuerſione, ambiguo, ſuſpicione, irriſione, ſtultitia, exuperatione, collatione, adiectione, abiectione, literarum mutatione, præterea expectatione, ſimilitudine, nouitate, hiſtoria, uerſu, aut ab alicuius interpellatione, aut arriſione: & ſi promiſerimus aliter ac parati fuerimus, nos eſſe dicturos: nos non eodem modo, ut cæteri ſoleant, uerba facturos: quid alij ſoleant, quid nos facturi ſimus, breuiter exponemus.*

## INTER INSINVATIONEM & Principium quid interſit.

*Hoc genus exordij à ſuperiore hoc differt, quòd in illo ſtatim & apertis rationibus quibus præſcripſimus, aut attentum, aut docilem, aut beneuolum faciamus auditorem. In inſinuatione uerò hæc omnia occultè & per diſſimulationem quaſi conficimus. Quæ ergo ſeparatim de principio & inſinuatione dicenda uidebantur, hæc ferè ſunt: nunc quiddam breue communiter de utroque præcipiemus,*

*piemus, & quæ in bonis exordijs ſeruanda, & quæ in uitioſis fugienda.*

## DE MODIS EXORDII.

*In exordienda cauſa ſeruandum eſt, ut*

*Lenis ſit ſermo.* Modus enim optimus eſt, & ſententiarum & compoſitionis & uocis & uultus modeſtiam tenere, quibus auditoris animum facilè nobis idoneum reddimus ad audiendum.

*Vſitata uerborum conſuetudo:* ne quod inſolens uerbum, néue audacius translatũ, aut obſoleta uetuſtate, aut poëtica licentia ſumptum, in exordio deprehendatur.

*Non apparata oratio uideatur eſſe:* propterea quòd ex hac ſuſpicio quædam apparationis atque artificioſæ diligentiæ naſcitur, quæ maximè orationi fidem, oratori adimit autoritatem. Difficillimum igitur eſt ( ut alibi ait Cicero ) in omni conquiſitione rationis exordium: atque ita ut quid tempus, quid res, quid cauſa ferat, exordiamur, & omnia comparemus iudicio ac ſapientia.

DE

## DE VITIIS EXORDII.

Vitioſorum exordiorum genera tradunt octo:

*Vulgare, quod in plures cauſas poteſt accommodari, idq́; generale principium nominatur, quod omnium poteſt eſſe cauſarum.*

*Commune, quo nihilominus aduerſarius poteſt uti: id eſt, quod cum noſtræ cauſæ poteſt conuenire, & aduerſariorum conuenire poſſe uidetur.*

*Commutabile, quo aduerſarius poterit uti ex contrario: quaſi ab aduerſario poßit, leuiter commutatum, ex contraria parte dici.*

*Longum, quod pluribus uerbis, aut ſententijs, ultra quam ſatis eſt producitur.*

*Apparatum, quod nimium apparatis uerbis compoſitum eſt.*

*Separatum, quod non ex ipſa cauſa natum uidetur, nec ſicut aliquod membrum annexum orationi.*

*Translatum, quod aliud conficit, quàm cauſæ genus poſtulat: ut ſi quis docilem faciat auditorem, cum beneuolentiam cauſa deſiderat: aut ſi principio utatur, cum inſinuationem res poſtulat.*

*Contra præcepta, quod nihil eorũ efficit, quorum cauſa de exordijs præcepta traduntur, hoc eſt, quod neq; beneuolum neq; docilem, neq; attentũ facit auditorẽ.*

DE

## DE NARRATIONE.

*Narrationis tria ſunt genera:*

*Vnum, quod rhetores ciuile appellant, in quo exponimus rem geſtam, omnemq; rationem controuerſiæ, & unumquodq; trahimus in utilitatem noſtram uincendi cauſa.*

*Alterum digreſſorium uocant, quod nonnunquam, aut fidei, aut criminationis, aut tranſitionis, aut alicuius apparationis non alienæ ab eo negocio, quo de agitur, aut laudationis cauſa interponitur.*

*Tertium, quod à cauſa ciuili remotum eſt, in quo tamen exerceri conuenit, quo commodius illas ſuperiores narrationes in cauſis tractare poſſimus. Remotum eſt appellatum, quaſi id ab oratoris officio eſſet alienum. eſt autem poëtarum, uel hiſtoriographorum. Eius narrationis duo ſunt genera.*

*Vnum quod in negotijs poſitum eſt, idq; tres habet partes:*

*Fabulam, quæ neq; ueras, neq; ueriſimiles continet res: ut eæ quæ tragœdijs traditæ ſunt.*

*Hiſtoriam, quæ geſta res eſt, ſed ab ætatis noſtræ memoria remota.*

*Argumentum, quæ res ficta eſt, & tamen fieri potuit: ut argumenta comœdiarum.*

*Alterum,*

*Alterum, quod in perſonis uerſatur, & debet habere ſermonis feſtiuitatem, animorum diſsimilitudinem, grauitatem, ſpem, metum, ſuſpicionem, deſiderium, diſsimulationem, errorem, miſericordiam, rerum uarietates, fortunæ commutationem, inſperatum incommodum, ſubitam lætitiam, iucundum exitum rerum.*

NARRATIONIS VIRTVTES.

*Tres res cõuenit habere narrationem, quæ cauſæ continet expoſitionem.*

*Vt breuis ſit.* Rem autem breuiter narrare poterimus, ſi inde incipiemus narrare, unde neceſſe erit: & ſi non ab ultimo initio repetere uolemus: & ſi ſummatim, non particulatim narrabimus: & ſi non ad extremum, ſed uſq; eò, quo opus erit, proſequemur: & ſi tranſitionibus nullis utemur: & ſi non deerrabimus ab eo, quod cœperimus exponere: & ſi exitus rerum ita exponemus, ut antè quoque quæ facta ſunt, ſciri poſsint, tametſi nos reticuerimus. quod genus eſt, ſi dicam me ex prouincia rediſſe, profectum quoque in prouinciam intelligatur: & omnino non modò id quod obeſt, ſed etiam id quod neque obeſt, neque iuuat, ſatius eſt præterire: & ne bis, aut ſæpius idem dicamus, hoc modo: Athenis Megaram ueſperi aduenit Simo. ubi aduenit Megaram, inſidias fecit uirgini. inſidias poſtquam fecit, uim, in loco attulit.

*Vt dilucida ſit.* Rem dilucidè narrabimus,

*binus, ſi ut quicque primum geſtum erit, ita primum exponemus, & rerum ac temporum ordinem conſeruabimus, ut geſtæ res erunt, aut ut potuiſſe geri uidebuntur. Hîc erit conſiderandum, ne quid perturbatè, ne quid contortè, ne quid ambiguè, ne quid nouè dicamus: ne quam in aliam rem tranſeamus: ne ab ultimo repetamus: ne longè proſequamur: ne quid, quod ad rem pertineat, prætereamus: & ſi perſequemur ea, quæ de breuitate præcepta ſunt, nam quo breuior, eo dilucidior, & cognitu facilior narratio fiet.*

*Vt ueriſimilis ſit. Veriſimilis ſiue probabilis narratio erit, ſi ut mos, ut opinio, ut natura poſtulat, dicemus: ſi ſpacia temporum, perſonarum dignitates, conſiliorum rationes, locorum opportunitates conſtabunt, ne refelli poßit aut temporis parum fuiſſe, aut cauſam nullam, aut locum idoneum non fuiſſe, aut homines ipſos facere, aut pati non potuiſſe.*

## AN VBIQVE, ET QVANDO narrandum.

*Sed quoniam de eo genere narrationis dictum eſt, quod ad orationem potißimùm ſpectat, deinceps de his quæ ad poëtas, quæq; ad hiſtoriographos pertinent explicatum eſt. nunc quiddam dicendum erit, ſi narrandum, an ubique narrandum: & ſi non ſemper, narratione quando utendum.*

*dum. Sed diligenter animaduertendum eſt, ubi & quo loco narrandum ſit, ne aut cum obſit narratio, aut cum nihil proſit, intercurrat.* Nec *uerò audiendi ſunt hi, qui ſemper narrandum putant. Fit enim interdum, ut nonnulli omiſſa narratione ſua prudenter & compoſitè & ornatè & memoriter dicant, cum quadam etiam actionis dignitate: idq; accidit in diſputationibus: nonnunquam in iudicijs, maximeq; cauſis ſuaſorijs, cum nulla poßit eſſe narratio ſententiæ de futuro.*

## NARRATIONE QVANDO utamur.

*Narratione uerò, quæ ad ueritatem pertinet, uti optimè poſſumus, ſi cauſæ natura & temporis ratio poſtulabit. Sed maxima prudentia requiritur ad hoc, quam* φρόνησιν *Græci dicunt, ut quæ res narrationem poſtulet uideamus: quam ſi tractare conueniet, uitandas autores præcipiunt crebras excurſiones, proſopopœias, apoſtrophen, atque omnino argumentationem: aut ne id, quod aduerſario prodeſt, dilucidè & ornatè exponamus, aut id quod nos adiuuat, obſcurè & negligenter dicamus.*

## QVANDO NARRATIO obſit.

*Obeſt autem narratio, cum ipſius rei geſtæ expoſitio magnam excipit offenſionem, quam argumentando & agendo cauſam leniri oportebit. quod cum accidit, membratim oportebit partes rei geſtæ diſpargere in cauſam, & ad unamquamque confeſtim rationem accommodare,*

*modare, ut uulneri præſtò medicamentum ſit, & odium ſtatim defenſio mitiget.*

## QVANDO NARRATIO nihil proſit.

*Nihil prodeſt narratio tunc, cum aut ab aduerſarijs re expoſita, noſtra nihil intereſt, iterum aut alio modo narrare: aut cum ab ijs qui audiunt, ita tenetur negotium, ut noſtra nihil interſit, eos alio pacto docere, id eſt, nihil prodeſt narratio tunc, cum ita ab aduerſarijs cauſa iudicibus expoſita eſt, ut à nobis aliter narrandum non ſit. quod cum acciderit, narratione omnino ſuperſedendum eſt. Ac ne illud quidem alienum eſt dicere, interdum non opportuno loco poni narrationem, cùm non in ea parte orationis collocatur, in qua res poſtulat: de quo poſterius in diſpoſitione dicemus.*

## DE PARTITIONE.

*Rectè habita in cauſa partitio, illuſtrem & perſpicuam totam efficit orationem. quid enim in controuerſia ſit, & quibus de rebus dicturi ſimus, per hanc aperitur. Sed hanc autor ad Herennium diuiſionem, alij propoſitionem uocant, quòd caput ſit totius negotij: quæ cùm non ſemper ſit ſimplex, ſed nonnunquam duplex, uel etiam multiplex, partitionem facilè conſtituit. Eſt enim partitio, definitore Quintiliano, noſtrarum aut aduerſarij propoſitionum, aut utrarumque ordine collata enumeratio.*

*Seiunctio, quæ quid nobis conueniat cùm aduerſarijs, & quid in controuerſia relinquatur, oſtendit hoc modo: Interfectam eſſe ab Oreſte matrem (primum quod ſeiungit accuſator) conuenit mihi cùm aduerſarijs: iure fecerit, & licuerit'ne facere, id eſt in controuerſia. Eſtq; hîc quæſtio. Item è contrario: Agamemnonem eſſe à Clytemneſtra (uerba Oreſtis ſe defendentis) occiſum confitentur: quod nobis conuenit. Sed me ulciſci parentem, negant oportuiſſe, quod in controuerſia relinquitur, & ſeiungitur ab eo, quod conuenit accuſatori cùm reo.*

Cuius duæ ſunt partes:

*Diſtributio, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breuiter expoſitio ponitur, ut ordine dicantur ſingula. eius partes ſunt duæ: una expoſitio, cùm res de quibus dicturi ſumus, exponimus breuiter, abſolutè, & paucis. Altera enumeratio, in qua dicimus numero, quot de rebus dicturi ſumus. eam, ſi membratim ſecetur, plus quàm trium partium eſſe non oportet: nam & periculoſum eſt, ne quando plus minúsue dicamus, & ſuſpicionem affert auditori meditationis & artificij, quæ res fidem abrogat oratori.*

## DE CONFIRMATIONE.

*Contentionis nomine, quæ pars orationis eſt omnium difficillima, Cicero & confirmationem & confutationem comprehendit: quarum in prima, id quod intendimus confirmare, in altera, id quod contrà dicere, perficere poteri-*

 *mus.*

*mus. Atque in his tota ſpes uincendi, ratioq; perſuadendi poſita eſt. nam cùm argumenta noſtra expoſuerimus, deinde contraria diſſoluerimus, abſolutè nimirum munus oratorium confecerimus.* In *primis autem dicemus de ea parte, per quam argumentando noſtræ cauſæ fidem, autoritatem, & firmamentum adiungit oratio quod facere poterimus, ſi cauſæ conſtitutionem ſiue ςάσιν cognouerimus. Nam cùm omne quod in diſceptationem uocatur, id aut ſit, néc ne ſit, aut quid ſit, aut quale ſit, quæritur: in primo coniectura ualet, in altero definitio, in tertio conſecutio.*

Omnes igitur cauſæ

*Confirmantur, aut*

- *Coniectura, quæ ſignificat acumen hominum, & ſimilitudine aliqua ſuſpicionem modò huc, modò illuc ducentium: ut, ſit'ne ius gentium?*
- *Definitione, quæ certis & circunſcriptis uerbis quid res ſit, quam uim habeat, quæ eius forma, quod genus, quid cuiuſque ſit proprium oſtendit: ut, ſit'ne iuſtitia conſtans & perpetua uoluntas ius ſuum unicuique tribuens?*
- *Conſecutione, quæ pro quæſtione qualitatis, ſeu pro qualitate ipſa ſumitur, & quid quamque rem ſequatur, inquirit: ut, ſit'ne aliquando mentiri boni uiri? ex ijs demum emanant*

*Status*

- *Coniecturalis*
- *Definitiuus*
- *Qualitatis.*

*Horum aliquis in omne cauſæ genus incidit.*

QVID

## QVID SIT STATVS.

*Status,ſiue cauſæ conſtitutio,Græci ςάσιν,Theodorus κεφάλαιον γενικώτατον, id eſt,caput uocat. eſt prima deprecatio defenſoris, cùm accuſatoris inſimulatione coniuncta: uel, prima conflictio cauſarum ex depulſione intentionis profecta. ut,*Occidiſti Opimi Caium Gracchum. *non occidi, aut iure occidi.*

## STATVS VNDE naſcatur.

*Status,ſiue conſtitutio, ubi factum negatur, ex prima intentionis & depulſionis conflictione naſcitur, quæ non apparet niſi ex repugnantia & inficiatione defenſoris, cùm accuſatore.* Ex *conflictione igitur intentionis & depulſionis oritur quæſtio & ſtatus coniecturalis: ut,*Occidiſti Milo Clodium? *non occidi.ſtatus coniecturæ ſeu quæſtio ciuilis eſt,occiderit'ne. Cæterùm, ſi fatetur* Milo *Clodium occidiſſe,iurè tamen ſe feciſſe dicit, quòd ſibi inſidias parauerit.accuſator uerò negat oportuiſſe hominem occidere: ex intentione hac & repugnantia defenſoris ſtatus & conſtitutio naſcitur iuridicialis,iuréne* Milo *inſidiatorem* Clodium *indemnatum occiderit? & ex eo omnes alij ſtatus emergunt.*

## DE IVDICATIONE.

*Quæ autem ex ſtatu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον,* Latini *iudicationem, quaſi iudicij quæſtionem uocant: in qua quid deueniat in iudicium, & de quo diſceptetur, quæri ſolet. Atque ubi facti cauſa tractatur, iudicatio ex his quatuor*

Emergit:

*Intentione, quam* κατάφασιν *Græci dicunt, ubi factum quod in iudicium uenit, obijcitur.*

*Depulſione, quàm Græci* ἀπόφασιν *uocant, ubi factum negatur, & qua quid intenditur, negando impugnatur.*

*Ratione, Græcis* αἰτία *dicitur, quæ cauſam facit, & continet defenſionem depellendi criminis cauſa.*

*Firmamento, quod continet accuſationem, & contra rationem defenſionis affertur. alijs continens, Græcis tamen* συνέχον *dicitur, quo ratio labefactatur.*

*In cauſa coniecturali ex intentione & inficiatione iudicatio ſtatim conſtituitur: in qua non ratio quare fecerit quæritur: feciſſe enim negatur, nec firmamentum exquiritur, quoniam non ſubeſt ratio.*

INTENTIO:

*Occidiſti Vlyſſes Aiacem.*

DEPVLSIO:

*Non occidi.*

IVDICATIO:

*Occiderit'ne? Quæſtio igitur (ut Cicero ait) in coniecturali eadem, quæ iudicatio.*

*In iuridiciali uerò alijsq́; conſtitutionibus & partibus conſtitutionum, non ſtatim ex repugnantia defenſoris, ſed ex rationis & firmamenti conflictione & quaſi concurſu, quæſtio exoritur quædam, quam iudicationem hîc uoco.*

IN

INTENTIO:

*Occidiſti Oreſtes matrem Clytemneſtram.*

DEPVLSIO:

*Occidi, ſed iure. Eſtq; hic quæſtio.*

RATIO:

*Illa namq; patrem meum Agamemnonem occiderat.*

FIRMAMENTVM:

*Sed non abs te occidi, neq; indemnatam pœnas pendere oportuit.*

IVDICATIO.

*Iuréne Oreſtes patris ulciſcendi cauſa matrem Clytemneſtram indemnatam occiderit? Eſtq; hæc quæſtio iudicij, quò omnem rationem totius orationis referri oportebit.*

DE NVMERO STATVVM.

*Magna eſt hodie inter ſcriptores de numero ſtatuum controuerſia, ita ut homines adoleſcentes à dicendi ſtudio ferè deterreant. Quidam contentionis cupidiores quàm ueritatis quatuor fecerunt: idq; de ſententia atq; autoritate Ciceronis, cuius neminem poſſit pœnitere, facere ſe iure æſtimant. Hermogenem longè anteponunt Ciceroni, ut qui in hac cauſa ſentiat unum atq; idem. Sed hæc ſententia nec illi, nec Hermogeni probatur, qui ſine controuerſia de ſtatibus acuratiſſimè diſputarunt. neq; illud debent putare, ut in libris quos de Inuentione Cicero inſcripſit, firmiſſimum ſuæ opinionis præſidium ponerent, cùm ſine ulla affirmatione ſimul quærens dubitantur unumquodque dicat, ne cui rei temerè atq; arroganter aſſentiat. Sed ut ad*

*illud redeamus, unde diuertimus, & ut in conſtituendis ſtatibus, quid ſequi poſsint adoleſcentes habeant, tres eſſe ſtatus,eosq́; principales,quibus & Cicero in oratore utitur, firme & grauiter aſſeueramus: Vnum coniecturalem, alterum legitimum ſiue definitiuum, tertium iuridicialem,qui à Fabio ſtatus qualitatis dicitur.Nunc quæ ſtatuum ſiue conſtitutionum partes ſint, & quomodo eas tractari conueniat,in ſequenti libro aperiemus.*

# PARTITIONVM LIBER SECVNDVS.

## DE CAVSA CONIECTVRALI.

CAVSA *coniecturalis eſt, cùm de facto controuerſia eſt,hoc modo:* Aiax *in ſylua,poſtquam reſciuit quæ feciſſet per inſaniam,gladio incubuit.* Vlyſſes *interuenit. occiſum conſpicatur. è corpore cruentum telum educit.* Teucer *interuenit: cùm fratrem occiſum,& inimicum fratris cùm gladio cruento uidet, capitis arceſsit. Hîc, quoniam coniectura uerum quæritur, de facto erit controuerſia, & ex eo conſtitutio cauſæ coniecturalis nominatur. In ea conſtitutione utimur coniecturis,ſignis,argumentis,tabulis,quæſtionibus,teſtibus,præiudicijs,ſic,ut per hæc factum probetur: de quibus poſterius dicemus.*

## NARRATIO IN CONIECTVRA qualis eſſe debeat.

*In cauſa coniecturali, narratio accuſatoris ſuſpiciones*

*interiectas & diſperſas habere debet, ita ut nihil actum, nihil dictum, nuſquam uentum, aut abitum, nihil deniq; factum ſine cauſa putetur.*

*Defenſoris narratio ſimplicem & dilucidam expoſitionem debet habere, cùm attenuatione ſuſpicionis, ne ſe arte defendere uelle uideatur.*

Huius conſtitutionis

*Partes ſunt ſex:*
- *Probabile*
- *Collatio*
- *Signum*
- *Argumentum*
- *Conſecutio*
- *Approbatio.*

## DE PROBABILI.

*Probabile eſt, per quòd probatur expediſſe reo peccare, & à ſimili turpitudine hominem nunquam abfuiſſe.*

*Id diuiditur in*
- *Cauſam, quæ induxit ad maleficium, commodorum ſpe, aut incommodorum euitatione.*
- *Perſonam, à quibus coniectura capietur, ſi res quæ perſonis attributæ ſunt, diligenter conſiderabuntur: ut ſunt, genus, natio, patria, ſexus, ætas, educatio, diſciplina, habitus, fortuna, natura, conditio, ſtudium, facta, dicta, conſilium, nomen, &c.*

## DE CAVSIS.

Coniecturæ à cauſis ſumuntur duæ:

*Impulſio, quæ ſine cogitatione, per quandam affectionem animi, facere aliquid hortatur: ut amor, iracundia, ægritudo, uinolentia, & omnino omnia, in quibus animus ita uidetur affectus fuiſſe, ut rem perſpicere cum conſilio & cura non potuerit: & id quod fecit, impetu quodam animi potius, quàm cogitatione fecerit. ut, Clodius oderat Milonem, cupiebat igitur eum extinctum eſſe.*

*Ratiocinatio eſt diligens & conſiderata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. ea dicitur interfuiſſe tum, cùm aliquid faciendi, aut non faciendi certa de cauſa uitaſſe, aut ſecutus eſſe animus uidetur: ut ſi amicitiæ quid cauſa factum dicetur, inimici ulciſcendi, gloriæ, pecuniæ, aut alicuius retinendi, augendi, & horum ſimilium cauſa.*

## QVID IN CAVSIS quæratur.

*Quæritur autem in cauſis, num quod commodum maleficio reus acquiſierit, num honorem, num pecuniam, num dominationem, num aliquam cupiditatem aut amoris, aut huiuſmodi libidinis uoluerit explere. Aut num quod incommodum uitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, ſupplicium.*

Ratio

### Ratio accuſationis.

*Hîc accuſator in ſpe commodi cupiditatem oſtendet aduerſarij, in emitatione incommodi formidinem augebit.*

### Ratio defenſionis.

*Defenſor autem negabit fuiſſe cauſam, ſi poterit, aut eam uehementer extenuabit. deinde iniquum eſſe dicet, omnes ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re peruenerit, in ſuſpicionem maleficij deuocari.*

## DE PERSONIS.

*Vita perſonæ ex antè factis ſpectabitur, à quibus coniecturæ capiuntur, ut per eas factum ita eſſe probetur. Sunt autem loci perſonarum ferè hi, quos ſuprà enumerauimus:* Genus, natio, patria, ſexus, ætas, educatio, diſciplina, &c.

### Ratio accuſationis.

*In perſonarum uita primùm conſiderabit accuſator, num quando ſimile quid fecerit. Si id non reperiet, quæret, num quando uenerit in ſimilem ſuſpicionem: & in eo debebit eſſe occupatus, ut ad eam cauſam peccati, quam paulo antè expoſuerit, uita hominis poßit accommodari, hoc modo: Si dicet pecuniæ cauſa feciſſe, oſtendet eum ſemper auarum fuiſſe: ſi honoris, ambitioſum: atque ita poterit animi uitium cum cauſa peccati conglutinare. Si non poterit par animi uitium cum cauſa reperire, reperiat diſpar. Si non poterit auarum demonſtrare, demonſtret corruptorem, uel perfidioſum, ſi quo modo poterit, quem pecuniæ cauſa dicet feciſſe. denique aliquo, aut quamplurimis uitijs contaminabit perſonam. deinde qui illud fecerit tam nequiter, eundem hoc tam perperam feciſſe, non*

*eſſe mirandum. Si uehementer caſtus & integer exiſtimabitur aduerſarius, dicet: facta, non famam, ſpectari oportere: illum antè occultaſſe ſua flagitia, ſe planum facturum ab eo maleficium non abeſſe.*

Ratio defenſionis.

*Defenſor primùm demonſtrabit uitam integram, ſi poterit: id ſi non poterit, confugiet ad imprudentiam, ſtultitiam, adoleſcentiam, uim, perſuaſionem, quibus de rebus uituperatio eorum, quæ extra id crimen erunt, non debeat aßignari. Sin uehementer hominis turpitudine impedietur & infamia, prius dabit operam, ut falſos rumores dißipatos eſſe dicat de innocente, & utetur loco communi, rumoribus credi non oportere. Sin nihil eorum fieri poterit, utatur extrema defenſione, & dicat, non ſe de moribus eius apud cenſores, ſed de criminibus aduerſariorum apud iudices dicere.*

DE COLLATIONE.

Ratio in hac accuſationis & defenſionis.

*Collatio eſt, quum accuſator id, quod aduerſarium feciſſe criminatur, alij nemini, niſi reo bonum fuiſſe demonſtrat: aut alium neminem potuiſſe perficere, niſi aduerſarium: aut eum ipſum alijs rationibus aut non potuiſſe, aut non æquè commodè potuiſſe: aut eum effugiſſe alias rationes commodiores propter cupiditatem.*

*Hoc loco defenſor ut demonſtret oportet, aut alijs quoque bonum fuiſſe, aut alios quoque id quod ipſe inſimuletur, facere potuiſſe.*

DE

## DE SIGNO.

*Signum eſt, per quod oſtenditur idonea perficiendi facultas eſſe quæſita.*

In hoc ſpectantur partes ſex:

*Locus, in quo res geſta ſit: ut celebris, an deſertus: ſemper deſertus, an tum cum id factum ſit: ſacer an profanus, publicus an priuatus fuerit.*

*Tempus: ut, qua parte anni, qua hora, noctu an interdiu, qua diei, qua noctis hora factum eſſe dicatur, & cuiuſmodi temporibus.*

*Spacium: ut ſatis'ne longum fuerit ad eam rem tranſigendam: & potuerit'ne ſcire ſatis ad id perficiendum ſpacij futurum.*

*Occaſio: ut idonea'ne ſatis fuerit ad rem adoriendam, an alia melior, quæ aut præterita ſit, aut non expectata.*

*Spes perficiendi quæ fuerit: ut, ſi quæ ſupradicta ſunt ſigna, concurrent: ſi præterea ex altera parte uires, pecunia, conſilium, ſcientia, apparatio, ex altera parte imbecillitas, inopia, ſtultitia, imprudentia, inapparatio demonſtrabitur fuiſſe.*

*Spes celandi quæ fuerit: ut cum ex conſcijs, arbitris, adiutoribus, liberis, aut ſeruis, aut utriſque aliquid ſcire poterimus.*

## DE ARGVMENTO.

*Argumentum,ut in coniecturis quæritur, eſt per quod res coarguitur certioribus argumentis, & magis firma ſuſpicione.*

*In hoc tria tempora conſiderantur:*

*Præſens.* *In hoc tempore quæritur, num uiſus ſit,cum faciebat:num quis ſtrepitus, clamor, crepitus exauditus ſit: aut deniq; num quid aliquo ſenſu perceptum ſit,aſpectu,auditu,tactu,odoratu, guſtatu. nam quiuis horum ſenſus poteſt conflare ſuſpicionem.*

*Præteritum.* *In hoc oportet conſiderare ubi fuerit,ubi uiſus ſit,quo cum uiſus ſit,num quid appararit,num quē conuenerit,nū quid dixerit,num quem habuerit de conſcijs, de adiutoribus, de adiumentis, num quid in loco præter conſuetudinem fuerit,aut alieno tempore.*

*Futurum.* *In quo ſpectabitur, num quid re tranſacta relictum ſit, quod indicet aut factum eſſe maleficium, aut à quo factum ſit. Factum eſſe hoc modo: ſi tumore, aut liuore decoloratum eſt corpus mortui, ſignificat cum ueneno necatum. A quo factum ſit, hoc modo: ſi telum, ſi ueſtimentum,ſi quid eiuſmodi relictum ſit, aut ſi ueſtigium rei fuerit repertum,aut ſi cruor in ueſtimentis.ſi in eo loco comprehenſus,aut uiſus ſit tranſacto negotio,quo in loco res geſta dicitur.*

DE

## DE CONSECVTIONE.

*Conſecutio, eſt cùm quæritur, quæ ſigna nocentis & innocentis factum conſequi ſoleant. Signa namque ſuſpicionem & coniecturam efficiunt, atq; ſunt in ijs ipſis cauſis quaſi tacita criminum teſtimonia, & grauiores quædam confirmationes.*

### Accuſatoris & defenſoris locos tractat.

*Cum autem explicanda erit natura conſecutionis, accuſator apud iudices dicet (ſi res, ſi tempus, ſi ita cauſa feret) aduerſarium, cum ad eum uentum ſit, erubuiſſe, expalluiſſe, titubaſſe, inconſtanter locutum eſſe, præ metu concidiſſe, pollicitum eſſe aliquid: quæ ſigna conſcientiæ ſunt. Si accuſator nihil horum in reo poterit oſtendere, dicet eum uſq; adeò præmeditatum fuiſſe, quid ſibi eſſet uſu uenturum, ut confidentiſſimè reſiſtens reſponderet: quæ ſigna confidentiæ ſunt, non innocentiæ.*

*Defenſor, ſi pertimuerit, magnitudine periculi, non conſcientia peccati ſe commotum eſſe dicet: ſi non pertimuerit, fretum innocentia negabit eſſe commotum.*

## DE APPROBATIONE.

*Approbatio, quam Græci* συγκατάθεσιν *uocant, eſt qua utimur ad extremum confirmata ſuſpicione. de* Inuent. *Approbatio eſt, per quam id quod breuiter expoſitum eſt, rationibus affirmatum probabilius & apertius fit.*

*Ea hab*

Ea habet locos

Proprios, quibus niſi accuſator poteſt uti: ut cum dicit, malorum miſereri non oportere: & cum auget peccati atrocitatem: aut quibus niſi defenſor, ut cum miſericordiam captat, & cum accuſatorem calumniari criminatur.

Communes, qui alia in cauſa ab reo, alia ab accuſatore tractantur. Communes loci ſunt cùm accuſatoris, tum defenſoris, à teſtibus, contra teſtes: à quæſtionibus, contra quæſtiones: ab argumentis, contra argumenta: à rumoribus, contra rumores. Græci πίςεις ἀτέχνες uocant, locos inartificiales, qui fidei faciendæ facultatem præbent, & extra cauſam ſumuntur.

## DE TESTIBVS.

A teſtibus dicemus, ſecundum autoritatem, & uitam teſtium, & conſtantiam teſtimoniorum. ut pro Archia Cicero: Ipſe adeſt uir ſumma autoritate & religione ac fide, M. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire: non audiuiſſe, ſed uidiſſe: non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit: adſunt Heraclienſes legati, nobiliſsimi homines. Contra teſtes, uitæ turpitudinem, teſtimoniorum inconſtantiam, ſi aut fieri non potuiſſe dicemus, aut non factum eſſe quod dicant, aut ſcire illos non potuiſſe, aut cupidè dicere & argumentari. ut pro Valerio L. Flacco Cicero teſtium Græcorum confirmationem impedit, eleuat & refutat: nullam denique teſtimonijs fidem tribuit, nullam defenſioni autoritatem.

## DE QVAESTIONIBVS.

*A quæſtionibus dicemus, cum demonſtrabimus maiores noſtros ueri inueniendi cauſa tormentis & cruciatibus uoluiſſe quæri, & ſummo dolore homines cogi, ut quicquid ſciant, dicant.* Itaq; *ſi accuſator teſtium perfidiam, leuitatem, inconſtantiam, & mores perditiſsimos in dandis mutuò teſtimonijs animaduerteret, quæſtiones ac tormenta carnificum minitabitur: quo in genere hominum quæruntur ſerui, uernæ, calones, ignobile uulgus, & ſi qui ſunt alij, in quibus nec conſilium, nec conſtantia, nec ratio cernitur. Contra quæſtiones hoc modo dicemus: primùm, maiores uoluiſſe certis in rebus interponi quæſtiones, cùm quæ uerè dicerentur, ſciri: quæ falsò in quæſtione pronuntiarentur, refelli poſſent hoc modo: Quo in loco quid poſitum ſit, & ſi quid eſſet ſimile, quod uideri, aut aliquo ſimili ſigno percipi poſſet. deinde, dolori credi non oportere, quòd alius alio recentior ſit in dolore, quòd ingenioſior ad comminiſcendum, quòd deniq; ſæpe ſcire, aut ſuſpicari poſsit, quid quæſitor uelit audire: quod cum dixerit, intelligat ſibi finem doloris futurum.*

## DE ARGVMENTIS.

*Ab argumentis, & ſignis, & cæteris locis, quibus augetur ſuſpicio, dicere hoc modo conuenit. cum multa concurrant argumenta & ſigna, quæ inter ſe conſentiant, rem perſpicuam non ſuſpicioſam uideri oportere: item plus oportere ſignis & argumentis credi, quàm teſtibus. hæc enim eo modo exponi, quomodo reuera ſunt geſta: teſtes corrumpi poſſe uel precio, uel gratia, uel metu, uel ſimultate.*

*Contra*

*Contra argumenta & ſigna, & cæteras ſuſpiciones dicemus hoc modo: Si demonſtrabimus nullam rem eſſe, quam non ſuſpicionibus quiuis poßit criminari: deinde unamquamq; ſuſpicionem extenuabimus, & dabimus operam ut oſtẽdamus, nihilo magis in nos eam, quàm in alium quempiam conuenire: indignum eſſe facinus, ſine teſtibus coniecturam & ſuſpicionem firmamenti ſatis habere.*

## DE RVMORIBVS.

*A' rumoribus dicemus, ſi negabimus temerè famam naſci ſolere, quin ſubſit aliquid: & ſi dicemus cauſam non fuiſſe, quare quiſpiam confingeret, & communiſceretur. Contra rumores dicemus primùm, ſi docebimus multos eſſe falſos rumores, & exemplis utemur, de quibus falſa fama fuerit: & aut inimicos noſtros, aut homines natura maleuolos, & maledicos confinxiſſe dicemus, & aliquam aut fictam fabulam in aduerſarios afferemus, quam dicamus omnibus in ore eſſe: aut uerum rumorem proferemus, qui illis aliquid turpitudinis afferat. neq; tamen ei rumori nos fidem habere dicemus, ideo quòd quiuis homo poßit quemuis turpem de quolibet rumorem proferre, & confictam fabulam dißipare. Veruntamen ſi rumor uehementer probabilis eſſe uidebitur, argumentando famæ fidem poterimus abrogare.*

## DE LEGITIMA CONſtitutione.

*Legitima conſtitutio eſt, cum in ſcripto, aut ex ſcriptis aliquid controuerſiæ naſcitur: quorum in altero uerba, in altero non uerba tantum, ſed & rationem inueſtigamus.*

In

In qua conſtitutione

Partes ſex tractantur:
- *Scriptum & ſententia*
- *Contrariæ leges*
- *Ambiguum*
- *Definitio*
- *Translatio*
- *Ratiocinatio.*

*In Topicis noui appellantur ſtatus, & legitimæ diſceptationes, his uerbis: Sed quoniam lege firmius in controuerſijs diſceptandis eſſe nihil debet, danda eſt opera, ut legem adiutricem & teſtem adhibeamus, in qua re alij quaſi ſtatus exiſtunt noui, qui appellantur legitimæ diſceptationes.*

## DE SCRIPTO ET Sententia.

*Ex ſcripto & ſententia controuerſia naſcitur, cùm uidetur ſcriptoris uoluntas cum ſcripto ipſo diſſentire: uel, cùm alter uerbis ipſis quæ ſcripta ſunt, utitur: alter ad id quod ſcriptorem ſenſiſſe dicet, omnem adiungit dictionem, hoc modo: Lex eſt, quæ iubet eos, qui propter tempeſtatem nauim reliquerint, omnia perdere: eorum nauim, cæteraq́; eſſe, ſi nauis conſeruata ſit, qui remanſerint in naui. magnitudine tempeſtatis omnes perterriti, nauim reliquerunt, & in ſcapham conſcenderunt, præter unum ægrotum: is propter morbum exire & fugere non potuit. caſu & fortuitu nauis in portum incolumis delata eſt: illam ægrotus poßidet: nauim petit ille, cuius fuerat.* Hinc *controuerſia naſcitur ex ſcripto & ſententia, & ex eo conſtitutio legitima nominatur: quorum in primo ægrotus uerbis ipſis quæ ſcripta ſunt, utitur: in altero aduerſa-*

*rius ad id quod ſcriptorem ſenſiſſe dicit, omnem adiungit orationem.*

## DE TRACTATIONE Scripti.

*In defenſione ſcripti, locis utemur:*

*A ſcriptoris collaudatione.*

*A ſcripti recitatione.*

*A percunctatione: ſciréntne aduerſarij id ſcriptum fuiſſe in lege, aut in teſtamento, aut in ſtipulatione, aut in quolibet ſcripto, quod ad eam rem pertineat?*

*A collatione, quid ſcriptum ſit, quid aduerſarij ſe feciſſe dicant, quid iudicem ſequi conueniat, utrum id quod diligenter perſcriptum ſit, an id quod acutè ſit excogitatum?*

*A contemptione: Si ea ſententia, quæ ab aduerſarijs ſit excogitata, & ſcripto attributa, contemnetur & infirmabitur.*

*A quæſtione, ſi quæretur quid ei obfuerit, ſi id uoluiſſet ſcribere, ut non potuerit perſcribere.*

*A ſententia & cauſa: quare id ſcriptor ſenſerit, quòd perſcripſerit. & demonſtrabitur ſcriptum eſſe illud breuiter & abſolutè.*

*Ab exemplis earum rerum, quæ, cùm ab aduerſarijs ſententia redderetur, & uoluntas afferretur, à ſcripto potius iudicatæ ſint.*

*A periculo: ſi oſtendetur, quàm periculoſum ſit à ſcripto recedere.*

*A loco communi, contra eum, qui cùm fateatur ſe contra id quod legibus ſancitum aut teſtamento perſcriptum ſit, feciſſe, tamen facti quærat defenſionem.*

DE

DE TRACTATIONE SENTENTIAE.

In defenſione ſententiæ locis utemur:

A ſcriptoris commoditate atq; breuitate, quòd tantum ſcripſerit, quod neceſſe fuerit: illud quod ſine ſcripto intelligi potuerit, non neceſſario ſcribendum putarit.

A fraudulenta interpretatione ſi dicemus non uiri boni, ſed calumniatoris eſſe officium, uerba & literas ſequi, negligere ſententiam.

Contra ſcriptum, cùm id oſtendemus, aut non poſſe fieri, aut non lege, non more, non natura, non bono & æquo poſſe fieri, quæ omnia uoluiſſe ſcriptorē quàm rectiſſimè fieri nemo dubitet: at ea quæ à nobis facta ſint, iuſtiſſimè facta.

A contraria ſententia, ſi aut nullā eſſe proferemus, aut ſtultam, aut iniuſtā, aut non poſſe fieri, aut non conſtare cū ſuperioribus & inferioribus ſententijs, aut cū iure cōmuni, aut cum alijs legibus cōmunibus, aut cū rebus iudicatis diſſentire.

Ab enumeratione exemplorum à uoluntate, & contra ſcriptum iudicatorum.

Ab enumeratione legum & ſtipulationum breuiter exemptarum, in quibus intelligatur ſcriptorum uoluntas & expoſitio.

A loco cōmuni contra eū qui ſcriptū retinet, et uoluntatē ſcriptoris nō interpretetur: ut pro Cecinna Cicero, cū ſententiā cōtra ſcriptū defendit.

DE CONTRARIIS Legibus.

Ex contrarijs legibus controuerſia conſtat, cùm alia lex iubet, aut permittit, alia uetat quidpiam fieri: uel, cùm

*inter ſe duæ uidentur leges, aut plures diſcrepare, hoc modo: Lex eſt, Qui tyrannum occiderit, olympiarum præmium capito, & quam uolet ſibi rem à magiſtratu depoſcito, & magiſtratus ei concedito.* Et *altera lex, Tyranno occiſo, quinq; eius proximos cognatione magiſtratus necato. Alexandrum, qui apud Pheræos in Theſſalia tyrannidem occuparat, uxor ſua, cui Thebe nomen fuit, noctu cum ſimul cubaret, occidit. hæc filium ſuum quem ex tyranno habebat, ſibi præmij loco depoſcit. Sunt qui ex lege puerum occidi dicant. Res in iudicio eſt: conſtitutio legitima ex contrarijs legibus conſtat.*

## DE TRACTATIONE contrariarum legum.

*Legum autem controuerſias diſſoluemus, ſi*

*Videbimus, nũ quæ abrogatio aut derogatio ſit: utra lex ad maiores, hoc eſt ad utiliores, ad honeſtiores, ac magis neceſſarias res pertineat. Hinc quatuor regulas autores præcipiũt: Lex inferior cedit ſuperiori. Lex ſpecialis derogat generali. Lex humana cedit diuinæ. Leges ueteres corriguntur, aut abrogantur nouis.*

*Conſiderabimus, num leges ita diſſentiant, ut altera iubeat, altera uetet: an ita ut altera cogat, altera permittat.*

*Vtemur noſtræ legis expoſitione, recitatione, collaudatione.*

*Exponemus contrariæ legis uoluntatem, & eam trahemus ad noſtræ cauſæ commodum.*

*Sumemus de iuridiciali abſoluta rationem iuris, & quæremus partem iuris, utrum cum ea faciat: de qua parte poſterius diſſeremus.*

DE

## DE AMBIGVO.

*Ex ambiguo controuerſia naſcitur, cùm ſcriptum duas aut plures res ſignificat, hoc modo: Paterfamilias, cùm filium hæredem faceret, teſtamento uaſa argentea uxori legauit. Tullius hæres meus Terentiæ uxori meæ triginta pondo uaſorum argenteorum dato, quæ uolet. poſt mortem eius uaſa precioſa & cælata magnificè, illa petit. Tullius ſe que uelit ipſe triginta pondo ei debere dicit. Conſtitutio eſt legitima ex ambiguo.*

## DE TRACTATIONE ambigui.

*Si ambiguum eſſe ſcriptum putabitur, quærendum, & oſtendendum eſt:*

*Sit'ne ambiguum. Qua in quæſtione, ſi fieri poterit, utraq; pars oſtendet, nõ eſſe ambiguè ſcriptum, propterea quòd omnes in conſuetudine ſermonis, ſicuti ſoleant eo uerbo uno, pluribúsue in ea ſentẽtia, in qua is qui dicet accipiendũ eſſe, demonſtrabit.*

*Quando ſcriptum eſſet, ſi id quod aduerſarij interpretantur, ſcriptor fieri uoluiſſet: quoniam conſiderato tempore omnis ambiguitas facile remouetur.*

*Id quod nos interpretemur, & fieri poſſe, & honeſtè, rectè, legè, more, natura, bono, & æquo fieri poſſe, quod aduerſarij interpretantur è contrario.*

*Non eſſe ambiguè ſcriptum, cum intelligatur utra ſententia uera ſit: illud ambiguum uideri debere, cuius ſententia an uera ſit, dubitetur.*

## DE DEFINITIONE

Ex definitione cauſa conſtat, cùm in controuerſia eſt, quo nomine factum appelletur: uel, cùm aut de uocabuli interpretatione, contenditur: aut quid ſit res, quæ in diſceptationem uenit, quæritur hoc modo: Cùm Lucius Saturninus legem frumētariam de ſemiſsibus & trientibus laturus eſſet, Q. Cepio, qui per id tempus quæſtor urbanus erat, docuit ſenatum, ærarium non pati poſſe largitionem tantam. Senatus decreuit, ſi eam legem ad populum ferat, aduerſus Remp. uideri eū facere. Saturninus ferre cœpit: collegæ eius intercedere: ille nihilominus ciſtellam, in qua leges ſeruabantur, detulit. Cepio, ut illum contra ſenatuſconſultum intercedentibus collegis aduerſus Rempublicam uidit ferre, cum uiris bonis impetum facit, pontes diſturbat, ciſtas deijcit, impedimento eſt, quo minus feratur lex. arceſsitur Cepio maieſtatis læſæ. Conſtitutio eſt legitima ex definitione. uocabulum enim definitur ipſum, cum queritur, quid ſit minuere maieſtatem.

## DE TRACTATIONE definitionis.

| | |
|---|---|
| Cùm de finitionē tractari conueniet, | Breuem uocabuli definitionem afferemus, & ad utilitatem cauſæ accommodatam deſcribemus hoc modo: Maieſtatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus rebus ciuitatis amplitudo conſtat, quæ ſunt ea, quæ capiunt ſuffragia populi, & magiſtratus conſilia. Igitur tu & populum ſuffragio, & magiſtratum conſilio priuaſti, cùm pontes diſturbaſti. Item è contrario: Maieſtatem is minuit, qui amplitudinem ciuitatis detrimento afficit. Ego non affeci detrimento, ſed prohibui. |

*ærarium enim conſeruaui, libidini malorum reſtiti, maieſtatem omnem interire non paſſus ſum.*

*Factum noſtrum cum uerbi interpretatione coniungemus.*

*Contrariæ interpretationis rationem, ſi aut falſa erit, aut inutilis, aut turpis, aut iniurioſa, refellemus.*

## DE TRANSLATIONE.

*Ex translatione, quam iuriſconſulti exceptionem uocant, controuerſia naſcitur, cùm aut tempus differendum, aut accuſatorem mutandum, aut iudices mutandos reus dicit: ut ſi quis peculatus, hoc eſt, pecuniæ publicæ furti, accuſetur, quòd uaſa argentea publica de loco priuato ſuſtulerit, poteſt, cùm definitione prius ſit uſus, quid ſit furtum, quid peculatus dicere: ſecum furti agendum, non peculatus.*

## DE TRACTATIONE translationis.

*In omni autem translatione quæri oportebit,*

- *Num aliquis eius rei actionem, petitionem, poſſeßionem, aut executionem habeat, quem non oporteat.*
- *Num alio modo, tempore, loco.*
- *Num alia lege.*
- *Num alio quærente, aut agente. Sed hæc ferè omnia legibus & moribus, æquo & bono reperientur, de quibus dicetur poſterius in iuridiciali abſoluta.*

## DE RATIOCINATIONE.

*Ex ratiocinatione controuerſia conſtat, cùm res ſine propria lege uenit in iudicium, quæ tamen ad alias leges ſimilitudine quadam trahitur: ut,* Non *licet hæredibus pecuniam ciuitati, ad ſpectacula legatam, repetere: igitur nec legatum ad pios uſus repetere licet. hic nulla eſt lex quæ apertè hoc neget, ſed ratiocinatione quærendum eſt teſtimonium, ſiue ex cognatis, ſiue ex ſimilibus.*

## DE TRACTATIONE Ratiocinationis.

*In cauſa ratiocinali quæretur & demonſtrabitur*

- *Ecquid in rebus maioribus, aut minoribus, aut ſimilibus, ſimiliter ſcriptum, aut iudicatum ſit.*
- *Vtrum ea res ſimilis ſit ei rei de qua agitur, an diſsimilis.*
- *Vtrum conſultò de ea reſcriptum non ſit, quòd uoluerit cauere, an quòd ſatis cautum putarit propter cæterorum ſcriptorum ſimilitudinem.*
- *Idcirco de hac re nihil eſſe ſcriptum, quòd cum de illa re eſſet ſcriptum, de hac re is qui ſcribebat, dubitaturum neminem arbitratus ſit.*
- *Neminem poſſe omnes res per ſcripturam amplecti: ſed eum commodiſsimè ſcribere, qui curet ut quædam ex quibuſdam intelligantur.*
- *Aequitas rei, ut in iuridiciali abſoluta.*

DE

## DE CONSTITVTIONE iuridiciali.

*Iuridicialis conſtitutio eſt, cùm factum conuenit, ſed iure, an iniuria factum ſit, quæritur: uel, in qua æqui & iniqui natura, & præmij aut pœnæ ratio quæritur. Sed hanc* Fabius *qualitatis ſtatum,* Græci δικαιολογικὸν *uocant, quòd diſputet de iure, de æquo, de bono: non id aut ſit, nec'ne ſit, aut quid ſit, ſed quale ſit, an iuſtum, an æquum, an bonum, an contrà.*

Eius conſtitutionis

| | |
|---|---|
| *Partes ſunt duæ* | *Abſoluta* & *Aſſumptiua.* |

## DE IVRIDICIALI ABſoluta.

*Iuridicialis abſoluta, quam* Hermagorei ἀντίληψιν *uocant, eſt cùm id ipſum quod factum eſt, ut aliud nihil extrinſecus aſſumatur, rectè factum eſſe defendemus. ut,* Mimus *quidam nominatim* Accium *poëtam compellauit in ſcena: cum eo* Accius *iniuriarum agit. hic nihil aliud defendit, niſi licere nominare eum, cuius nomine ſcripta dentur agenda.*

## DE TRACTATIONE IVRIdicialis abſolutæ.

De hac cauſa dicere poterimus, ſi ex quibus partibus ius conſtet, cognouerimus, quarum numerãtur ſex:

*Naturæ ius eſt, quod cognationis, aut pietatis cauſa obſeruatur, quo iure parentes à liberis, & à parentibus liberi coluntur. Sed naturæ quidem iura minus ipſa quæruntur ad hanc controuerſiam: quòd neq; in hoc ciuili iure uerſantur, et à uulgari intelligentia remotiora ſunt. ad ſimilitudinem uerò aliquam, aut ad rem amplificandam ſæpe ſunt hæc inferenda.*

*Legis ius eſt id, quod populi iuſſu ſancitum eſt: ut, in ius cùm uoceris, pareas magiſtratui.*

*Conſuetudinis ius eſt id, quod ſine lege æquè ac ſi legitimum ſit, uſitatum eſt: ut, Id quod argentario obtuleris expenſum, à ſocio eius rectè repetas.*

*Iudicatum eſt id, de quo aut ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum. ea ſæpe diuerſa ſunt, ut aliud alij iudici, aut prætori, aut conſuli, aut tribuno plebis placitum ſit: & fit, ut de eadem re ſæpe alius aliud decreuerit, aut iudicauerit.*

*Ex æquo & bono ius conſtat, quod ad ueritatem, & utilitatem communẽ uidetur pertinere: ut, maior ſexaginta annis, & cui morbus cauſa eſt, cognitorem det.*

*Ex pacto ius eſt, ſi quid inter duos, uel plures conuenit: quod iam ita iuſtum putatur, ut iuri præſtare dicatur.*

## DE IVRIDICIALI aſſumptiua.

*Iuridicialis aſſumptiua, quam Græci προσληπτικὴν nominant, eſt quum per ſe defenſio infirma eſt, ſed aſſumpta extranea re comprobatur. In hac uerſatur Cicero, ubi Clodium ex uſu totius Reipub. & interfectoris gloria oppreſſum fuiſſe multis argumentis probat.*

Huius conſtitutionis

*Partes ſunt quatuor,*
- *Conceßio*
- *Criminis remotio*
- *Translatio*
- *Comparatio.*

## DE CONCESSIONE.

*Conceßio, eſt per quam nobis ignoſci poſtulamus: uel, per quam non factum ipſum improbatur ab reo, ſed ut ignoſcatur, id petitur.*

*Ea diuid*

Ea diuiditur in

Excuſationem, per quam fatemur nos peccaſſe, ſed per ignorãtiam, aut fortunam, aut neceßitatem: ut ille, qui ad diem commeatus non rediit, quòd aquæ ſubitò ortæ intercluſiſſent eum, non uoluntate, ſed neceßitate impeditum ſe defendit. Cepio apud tribunos pleb: per fortunam purgat ſe de amißione exercitus. Sic qui ſupplicium ſumpſiſſe ab eo ſeruo, qui ei fratrẽ necaſſet, confitetur. Seruus interfectus, quum in tabulis teſtamenti apertis manumiſſus inuentus eſſet, accuſatur ille quòd liberatum & ciuem iam factum occidiſſet. Res in iudicio eſt: cædem à ſe factam confitetur, ſed per ignorantiam, quòd ſeruum eſſe credebat.

Deprecationem, per quam & peccaſſe & conſultò feciſſe reus ſimul confitetur, & tamen ut ſui miſereantur, poſtulat. Hæc apud ſenatum, populum, principem pium, & ubicunq; clementia iuris eſt, maximè ualet: rarius in iudicio, quòd delicto iam conceſſo impetrare difficile ſit ab eo, qui peccatorum uindex eſſe debet, ut ignoſcat.

## DE TRACTATIONE neceſsitatis.

Cum per neceßitatẽ factũ excuſatur, conſiderandũ erit,

- Vtrum per culpam uentum ſit in neceßitudinem.
- Num culpam ueniendi neceßitudo fecerit.
- Quomodo uis illa uitari potuerit, aut leuari.
- An'is qui in neceßitudinem cauſam conferet, expertus ſit quid contrà facere, aut excogitare poſſet.
- Num quæ ſuſpiciones ex coniecturali conſtitutione trahi poßint, quæ ſignificent id quod neceſſariò accidiſſe dicitur, conſultò factum eſſe.
- Si maximè neceßitudo quæpiã fuerit, conueniat'ne eã ſatis idoneã cauſam putari, quæ id facere cõpulerit.

DE

## DE TRACTATIONE fortunæ.

*Quãdo cauſa facti in fortunã confertur, iiſdẽ locis utemur, quæremus enim,*

*Num perculpam in fortunam reus inciderit: num culpam fortuna præceſſerit.*

*Vtrum is qui in fortunã cauſam cõferret, expertus autẽ fuerit, ne in caſum cõcideret.*

*Quæ ſuſpiciones ex coniecturali cauſa trahi poßint, quæ declarẽt id quod per fortunã accidiſſe reus dicet, cõſultò factũ eſſe.*

## DE TRACTATIONE ignorantiæ.

*Si per ignorãtiam peccaſſe ſe reus dicet, quæretur:*

*Vtrum potuerit ſcire, an nõ potuerit, id quod per ignorantiam ſe feciſſe confitebitur.*

*Num data ſit opera, ut ſciretur, an non.*

*Vtrum caſu neſcierit, an culpa. nam qui ſe propter uinum aut amorem, aut iracundiam fugiſſe rationem dicet, is animi uitio uidebitur neſciſſe, non ignorantia.*

*Per conſtitutionem coniecturalem: utrũ ſcierit, aut ignorauerit: ſatis'ne imprudentia præſidij debeat eſſe, cum factum eſſe conſtet.*

## LOCI COMMVNES.

*Locus autẽ communis in his trib. conceßionis partibus,*

*Accuſatoris eſt, cùm dicet contra eum, qui cum ſe peccaſſe confiteatur, & tamen diutius oratione iudices demoretur, quo minus iudicij ſententiam efferant.*

*Defenſoris eſt, cum dicet humanitatem, miſericordiam, uoluntatem in omnibus rebus ſpectari conuenire: & quæ conſultò facta non ſint, ea fraudi eſſe nõ oportere.*

DE

## DE TRACTATIONE deprecationis.

Hæc in parte ad facti deprecationem ignoſcẽdi petenda uenia eſt ex his locis:

*A comparatione: ſi plura, aut maiora officia quàm maleficia uidebuntur conſtare, hoc modo:* Vir *fortis & animoſus eſt, qui pro populi* Romani *honore ex autoritate ſenatus grauiſsima bella geſsit.*

*Ab attributis perſonæ: ſi qua uirtus, aut nobilitas erit in eo, qui ſupplicabit.*

*A cauſa ratiocinatiua: ſi qua ſpes erit, uſui futurũ, ſi ſine ſupplicio diſceſſerit: Si nihil ab eo periculi nobis futurum uidebitur, ubi eum miſſum fecerimus.*

*Ab honeſto: Si ipſe ille ſupplex, manſuetus, & miſericors in poteſtatib. oſtendetur fuiſſe.*

*Ab excuſatione: ſi ea quæ peccauit, non odio, non crudelitate, ſed officio, & recti ſtudio commotus fecit.*

*A ſimili: ſi tali de cauſa alijs quoq; ignotum eſſe dicemus, ut* M. Marcello, *& alijs.*

*A laudabili: ſi nulla aut à noſtris ciuibus, aut ab aliqua ciuitate uituperatio ex ea re ſuſcipietur: ut* Cicero pro Ligario *facit, oſtendens* Cæſari *laudi futurum, ſi eum ſine ſupplicio cũ bona gratia dimittat.*

## LOCI COMMVNES.

*Locus autem communis in deprecatione*

*Defenſoris eſt, de humanitate, fortuna, miſericordia, rerum commutatione: in quibus uerſatur* Cicero, *ubi pro* Ligario *&* Deiotaro *dicit.*

*Accuſatoris eſt, cùm his locis omnibus, cùm proprijs, tum communibus ex contrario, cum amplificatione & enumeratione peccatorum utetur.*

## DE REMOTIONE criminis.

*Ex remotione criminis cauſa conſtat, cum à nobis non crimen, ſed culpam ipſam amouemus, & uel in hominem transferimus, uel in rem quampiam conferimus. In hominem: ut ſi accuſetur is, qui P. Sulpitium ſe fatetur occidiſſe, & id iuſſu conſulum defendat: & eos dicat non modò imperaſſe, ſed rationem quoq; oſtendiſſe, quare id facere liceret. In rem: ut ſi quis ex teſtamento, quod facere iuſſus ſit, ex plebiſcito uetetur.*

## DE TRACTATIONE remotionis.

*Si cauſa conferetur in*

- *Hominem, quæretur:*
  - *Potuerit'ne tantum, quantum reus demonſtrabit is, in quem cauſa conferetur.*
  - *Quo'nam modo aut honeſtè, aut ſine periculo potuerit obſiſtere.*
  - *Si maximè ita ſit, num ea re concedi reo conueniat, quod alieno inductu fecerit.*
  - *Ex coniecturali controuerſia, num conſultò factum ſit, necne.*
- *Rem, & hæc eadem ferè, & omnia quæ de neceſſitudine præcepimus, conſideranda erunt.*

DE

## DE TRANSLATIONE.

*Ex tranſlatione criminis cauſa conſtat, cùm feciſſe nos non negamus, ſed aliorum peccatis coactos feciſſe dicimus: ut Oreſtes, cùm ſe defendit, in matrem confert crimen, quòd ei patrem necaſſet.*

## DE TRACTATIONE tranſlationis.

*In hac tam ab actore quàm à reo diligenter quærendum eſt:*

*Iuréne in alium crimen transferatur: ut in cauſa Oreſtis, primùm quærendum eſt, an Clytemneſtra Agamemnonem per inſidias occiderit. niſi enim factum eſſe conſtet, nihil Oreſti tranſlatio criminis proderit.*

*An æquè magnum ſit illud peccatum, quod in alium transferatur, atq; illud quod reus ſuſcepiſſe fateatur: ut, num æquale crimen ſit Clytemneſtræ, quòd ei pàtrem necauerit, Oreſtis crimini, qui eam occidit.*

*Oportuerit'ne in ea re peccare, in qua alius antè peccârit. Turpe autem & indignum putant magni rhetores, eos conſectari imitando, quos apud iudices improbamus. Si nulla ualebat apud te excuſatio unius peccati Clytemneſtræ, cur ipſe ſimile committebas?*

*Oportuerit'ne iudicium antè fieri, priuſquam patris ulciſcendi cauſa ſupplicium de matre ſumpſiſſet.*

*Quum factum iudicium non ſit de illo crimine, quod in alium transfertur, oporteat'ne de ea re iudicium fieri, quæ res in iudicium non uenerit.*

LOCI COMMVNES.

Quæ in cauſa locus communis

*Accuſatoris eſt, cùm dicet contra eum qui plus cenſeat uim(quam Clytemneſtræ Oreſtes intulit)quàm iudicia ualere oportere, & ab aduerſarijs percunctabitur quid ſit futurum, ſi cæteri quoque de indemnatis ſupplicia ſumant, quòd eos idem feciſſe dicat, quos accuſat, & dicet: Quid ſi accuſator idem facere uoluiſſet? Quid ſi eadem ratione Menelaus Oreſtem indemnatum necaſſet?*

*Defenſoris eſt, ſi proferet eorum peccati atrocitatem (ut Oreſtes Clytemneſtræ) in quos crimen transfertur. rem, locum, tempus ante oculos ponet, ut ij qui audient, exiſtiment aut non potuiſſe, aut non fuiſſe utile rem in iudicium uenire.*

## DE COMPARATIONE.

Ex *comparatione criminis cauſa conſtat, cùm dicimus neceſſe fuiſſe alterutrum facere, & id quod fecerimus, ſatius fuiſſe facere: ut,* C. Pompeius, *cùm à* Gallis *obſideretur, neque effugere ullo modo poſſet, uenit cùm hoſtium ducibus in collocutionem: adductus neceßitate ita diſceſſit, ut impedimenta relinqueret, exercitum educeret: ſatius eſſe duxit amittere impedimenta, quàm exercitum. exercitum eduxit, impedimenta reliquit, arceßitur maieſtatis.* Ex *comparatione conſtitutio naſcitur, utrum facere ſatius fuerit.*

## DE TRACTATIONE comparationis.

Si ex cõparatione cauſa conſtat, quæri conuenit:

Vtrum fuerit utilius ex contentione, hoc eſt, utrum facilius, uenuſtius, conducibilius. Potuiſſet dicere Pompeius: Quæro à uobis iudices, utrum ſatius fuerit, arma duntaxat, an magna cum clade exercitum amiſiſſe.

Ipſum'ne oportuerit iniuſſu ſenatus, populiq; Romani iudicare utrum fuerit utilius, an aliorum fuerit utilius ſtatuendi poteſtas.

Ex conſtitutione coniecturali, cùm ſuſpicione interpoſita, quare putari debeat non ea ratione factum eſſe, quo melius deteriori anteponeretur: ſed dolo malo negotium geſtum.

Potuerit'ne uitari, ne in eum locum ueniretur, ne ab hoſtibus exercitus obſideretur.

Hic à defenſore ex contrario refelletur argumentatio coniecturalis aliqua probabili cauſa, quòd temerè de illo ſuſpicentur homines.

## LOCI COMMVNES.

Quæ in cauſa locus communis

Accuſatoris eſt in eum, qui inutile utili præpoſuerit, cùm nec ſtatuendi, nec paciſcendi cùm hoſtibus habuerit poteſtatem.

Defenſoris eſt per conqueſtionem contra eos, qui æquum cenſeant, rem pernicioſam utili præponi: & ſimul quæret ab accuſatoribus & ab iudicibus ipſis, quid facturi eſſent, ſi in eo loco fuiſſent, & tempus, locum, rem, deliberationem ſuam ponet ante oculos.

DE

## DE ARGVMENTAtione abſoluta.

*Abſolutiſsima et perfectiſſima argumentatio partibus conſtat quinque:*

- Propoſitione, *per quam oſtendimus ſummatim quid ſit, quod probare uolumus.*
- Ratione, *quæ eſt cauſa, demonſtrans id uerum eſſe quod intendimus, breui ſubiectione.*
- Rationis *confirmatione, quæ pluribus argumentis corroborat breuiter expoſitam rationem.*
- Exornatione, *qua utimur rei ornandæ & amplificandæ cauſa, confirmata prius argumentatione.*
- Complexione, *quæ concludit, breuiter colliges partes argumentationis.*

Exemplum quinquepartitæ argumentationis in cauſa coniecturali de Vlyſſe, qui à Teucro capitis arceſsitur, quòd ei fratrem necaſſet.

TEVCER,

*Occidiſti* Vlyſſes *fratrem meum* Aiacem.

VLYSSES,

*Non occidi.* Eſtq; *hic quæſtio, an occiderit, néc ne.*

Vocato igitur in iudicium Vlyſſe per Teucrum, potuiſſet argumentatio hunc in modum tractari:

Propoſitio: *Cauſam oſtendemus iudices* Vlyßi *fuiſſe, cur interfecerit* Aiacem.

*Ratio propoſitionis à probabili:* Inimicum, enim acerrimum de medio tollere uolebat, à quo ſibi non iniuria ſummum periculum metuebat.

*Confirmatio rationis à contrario:* Videbat illo incolumi, ſe incolumen non futurum. Sperabat illius morte, ſe ſalutem ſibi comparare. *A uita:* Conſueuerat, ſi iure non poterat, quauis iniuria inimico exitium machinari, cui rei mors indigna Palamedis teſtimonium dat. *A cauſa ratiocinatiua:* Ergo & metus periculi hortabatur eum interimere, à quo ſupplicium uerebatur: & conſuetudo peccandi, maleficij ſuſcipiendi remouebat dubitationem.

*Exornatio à minori ad maius:* Omnes enim cùm minima de cauſa peccata ſuſcipiunt, tum uerò illa quæ multo maxima ſunt maleficia, aliquo certo emolumento inducti, ſuſcipere conantur. Si multos induxit in peccatum pecuniæ ſpes, ſi complures ſcelere ſe contaminauerunt imperij cupiditate, ſi multi leue compendium fraude maxima commutauerunt, cui mirum uidebitur, iſtum à maleficio propter acerrimam formidinem non temperaſſe? *A collatione:* Virum fortiſſimum, integerrimum, inimicitiarum perſequentiſſimum, iniuria laceßitum, ira excitatum, homo timidus, nocens, conſcius ſui peccati, inſidioſus, inimicum incolumem eſſe noluit. cui tandem hoc mirum uidebitur? *A ſimili:* Nam cùm feras beſtias uideamus alacres, & erectas uadere, ut alteri beſtiæ noceant, non eſt incredibile putandum iſtius quoque animum ferum, crudelem, atq; inhumanum cupide ad inimici perniciem profectum: præſertim cùm in beſtijs nullam neq; bonam, neq; malam rationem uideamus: in iſto plurimas, & peßimas rationes ſemper fuiſſe intelligamus.

*Complexio:* Si ergo pollicitus ſum me daturum cauſam,

qua

*qua inductus Vlyſſes acceſſerit ad maleficium, & ſi inimicitiarum acerrimam rationem, & periculi metum interceßiſſe demonſtraui, non eſt dubium, quin confiteatur cauſam maleficij fuiſſe.*

## AN EA ARGVMENTAtione ſemper uti ſoleant.

*Abſolutißima argumentatione non ſemper neceſſe eſt uti. Tum enim complexione ſuperſedendum eſt, ſi res breuis eſt, ut facilè memoria comprehendatur : tum exornatio prætermittenda eſt, ſi parùm locuples ad amplificandum & oxornandum res uidetur eſſe. Sin & breuis erit argumentatio, & res tenuis, aut humilis, tum & exornatione, & complexione ſuperſedendum eſt.*

## TRIA ARGVMENTAtionum genera.

*Sunt igitur argumentationum genera tria : unum amplißimum, quòd partibus conſtat quinque : alterum breuißimum, quòd habet partes tres, ſublata cùm exornatione, tum complexione.* Deinde *mediocre, cuius partes ſunt quatuor, ſublata aut exornatione, aut complexione.*

## DE ARGVMENTAtione uitioſa.

*Cognitio uitioſarum argumentationum duplicem utilitatem habet, Nam & uitare uitium in argumentatione admonebit, & ab alijs non uitatum commodè reprehenderè docebit.*

Sunt autem duo genera uitioſarum argumentationum:

Vnum, quod ab aduerſario reprehendi poteſt, idq́; pertinet ad cauſam.

Alterum, quod tametſi nugatorium eſt, tamen non indiget reprehenſione.

## DE VITIOSA PROpoſitione.

Propoſitio uitioſa eſt:

Cùm ab aliqua, aut à maiore parte ad omnes confertur id, quod non neceſſario eſt omnibus attributum: ut, omnes qui in paupertate ſunt, malunt maleficio parare diuitias, quàm officio paupertatem tueri.

Cum id quòd rarò fit, fieri omnino negatur: ut, Nemo poteſt uno aſpectu, neq; præteriens in amorem incidere.

Cum omnes res oſtendemus nos collegiſſe, & aliquam rem idoneam præterimus: ut, Quoniam hominem occiſum conſtat eſſe, neceſſe eſt aut à prædonibus, aut ab inimicis occiſum eſſe, aut abs te, quem ille hæredem teſtamento ex parte faciebat. Sed prædones in illo loco nunquam ſunt uiſi, inimicum nullum habebat: relinquitur ergo, ut abs te ſit interemptus.

Quæ conſtat ex falſa enumeratione: ut ſi, cùm plura ſunt, pauciora dicamus, hoc modo: Duæ ſunt res iudices, quæ homines ad maleficium impellunt, luxuries, & auaritia. Vel,

cùm

*cùm pauciora ſunt, & plura dicimus, hoc modo: Tres res ſunt, quæ omnes homines ſolicitant, metus, cupiditas, ægritudo.*

*Quæ nimium longe repetitur: ut, omnium malorum ſtultitia eſt mater, quæ parit immenſas cupiditates: immenſæ porrò cupiditates infinitæ, & immoderatæ ſunt, hæ pariunt auaritiam: auaritia porrò hominem ad quoduis maleficium impellit. igitur auaritia inducti aduerſarij noſtri, hoc in ſe facinus admiſerunt.*

DE VITIOSA RATIONE.

*Vitioſa ratio eſt, quæ ad propoſitionem non eſt accommodata, uel propter infirmitatem, uel propter uanitatem.*

*Sunt igitur uitioſæ rationes aliæ*

*Vanæ ſiue inſulſæ & ſtolidæ, quæ ex falſa cauſa conſtant: ut, Amor fugiendus non eſt: nam ex eo uerißima naſcitur amicitia. Philoſophia uitanda eſt: affert enim ſocordiam & deſidiam.*

*Infirmæ ſiue debiles, quæ non neceſſariò oſtendunt ita eſſe, quemadmodum in propoſitione expoſitum eſt: ut, Amicum caſtigare (propoſitio Plautina) ob meritam noxiam, immane facinus eſt, uerùm in ætate utile & conducibile. Nam ego amicum hodie meum non caſtigabo pro commerita noxia. Ratio eſt infirma: quoniam ex eo quod ipſe facturus eſt, non ex eo quod fieri conuenit, utile quid ſit ratiocinatur.*

Eius infirmæ rationis

Alia eſt

*Quæ non neceſſariam cauſam affert propoſitionis, uelut* Pacuuius: *Fortunam inſanam eſſe, & cæcam, & brutam perhibent philoſophi: inſanam quia atrox, incerta, inſtabilisq́; ſit: cæcam, quia nihil cernat quò ſeſe applicet: brutam, quia dignum atq; indignum nequeat internoſcere.*

*Quæ uidetur pro ratione afferri, ſed idem dicit, quòd in propoſitione dictum eſt: ut, Magno malo eſt omnib. auaritia, idcirco quòd homines magnis & multis incommodis conflictantur propter immenſam pecuniæ cupiditatem.*

*Quæ minus idoneam, quàm res poſtulat, cauſam ſubijcit propoſitioni: ut, utilis eſt ſapientia, propterea quòd qui ſapientes ſunt, pietatem colere conſueuerunt.*

*Quæ uel alij propoſitioni accommodari poteſt: ut* Pacuuius, *qui eandem affert rationem, quare cæca: eandem, quare bruta fortuna dicitur.*

## DE VITIOSA CONFIRMATIONE RATIONIS.

*In confirmatione rationis multa uitanda in noſtra, & obſeruanda in aduerſariorum ratione ſunt uitia, proptereaq́; diligentius conſideranda ſunt, quòd accurata confirmatio rationis totam uehementiſſimè comprobat argum-*

argumentationem. Vtimur autem in confirmanda ratione duplici concluſione, quæ Græcis δίλημμα, Dialecticis ſyllogiſmus cornutus, Ciceroni complexio, hoc eſt, argumentum quod capit utrinq; aduerſarium, appellatur: ut, Iniuria abs te afficior indigna pater.

I. Concluſio. Nam, ſi improbum Threſpontem exiſtimaueras, cur me huic locabas nuptijs?

II. Concluſio. Sin eſt probus, cur talem inuitam inuitum cogis linquere.

## Ratio confutandi in hiſce concluſionibus.

Sumitur autem confutatio huius concluſionis:

Aut ex ſimplici parte, ſi ex duplici concluſione alterutra pars diluitur: ut, Nam ſi improbum Threſpontem æſtimaueras, cur me huic locabas nuptijs? Duxi probum, erraui, poſt cognoui, & fugio cognitum.

Aut ex contrario, hoc modo: Nulla te indigna nata afficio iniuria. Si probus eſt, bene locaui: ſin eſt improbus, diuortio te liberabo incommodis. Ergo refutatio huius concluſionis duplex eſt: una acutior, quæ concluſionem ex contrario conuertit. Altera facilior ad excogitandum, quæ alteram partem cum reprehenſione diſſoluit.

Quando conſequens in rationis confirmatione uitioſum ſit.

Eſt autem in confirmatione uitioſum:

*Cum ea re, quæ plura ſignificat, abutimur pro certo unius rei ſigno: ut, Neceſſe eſt, quoniam pallet, ægrotaſſe: aut neceſſe eſt peperiſſe, quoniam ſuſtinet puerum infantem.*

*Cum uel in alium, uel in eum ipſum, qui dicit id quod in aduerſarium dicitur poteſt conuenire: ut, Miſeri ſunt, qui uxores ducunt, at tu duxiſti alteram.*

*Quod uulgarem habet defenſionem: ut, Iracundia inductus peccauit, aut adoleſcentia, aut amore.*

*Cum id pro certo ſumitur, quod inter omnes non conſtat: ut, Threſpontes ad ſocerum: Eho tu, dij, quibus eſt poteſtas, motus ſuperum, atq; inferum, pacem inter ſeſe conciliant. Itaq; noſtra neceßitudo debet conciliare te mihi.*

*Quod iam quaſi ſero, atq; acto negotio dici uidetur: ut, In mentem mihi ſi ueniſſet Quirites, non commuſiſſem, ut hunc in locum res ueniret: nam hoc, aut hoc feciſſem. Sed me tum hæc ratio fugit.*

*Cum id, quod in aperto delicto poſitum eſt, tamen aliqua leui tegitur defenſione: ut, cùm te expetebant omnes, florentißimo regno reliqui, nunc deſertum ab omnibus ſummo periculo ſolus ut reſtituam, paro.*

*Quod aliam in partem ac dictum ſit, poteſt accipi: ut, ſi quis potens, ac factioſus in concione dixerit, Satius eſt uti regibus, quàm malis legibus.*

*Falſis, aut uulgaribus definitionibus uti. Falſis, ut ſi quis dicat iniuriam nullam eſſe, niſi quæ ex pulſatione, aut conuicio conſtet. Vulgaribus, ut ſi quis dicat,*

*dicat, quadruplator ut breuiter deſcribam, capitalis eſt. eſt enim improbus, & peſtifer ciuis.*

Pro *argumento ſumere, quod in diſquiſitione poſitum eſt: ut ſi quis quem furti arguat, dicat eum eſſe hominem improbum, auarum, fraudulentum, ei rei teſtimonium eſſe, quòd ſibi furtum fecerit.*

Controuerſiam, *controuerſia diſſoluere: ut,* Non *conuenit cenſores iſtum nobis ſatisfacere, ex eo, quòd ait ſe non potuiſſe adeſſe, ita ut iuratus fuerat. quòd ſi ad exercitum non ueniſſet, id'ne tribuno militum diceret?*

*Cum id, de quo ſumma controuerſia eſt parum expeditur, & quaſi tranſactum ſit, relinquitur: ut* Aiax *pro* Achillis *armis adipiſcendis, in* Græcorum *conſilio* Apollinis *oraculum exponit hoc modo:*

*Aperte fatur dictio, ſi intelligas,*
*Tali dari arma, qualis qui geßit fuit,*
*Iubet, potiri ſi ſtudeamus* Pergamo,
*Quæ ergo profiteor eſſe mea. nam me æquum eſt frui*
Fraternis *armis, mihiq; adiudicarier,*
*Vel quòd propinquus, uel quòd uirtute æmulus.*

*Ipſum cauſidicum ſiue oratorem ſibi in ſua oratione diſſentire, & contra ea, quæ ante dixerit, dicere: ut,* Qua *cauſa accuſem hunc iudices? nulla enim cauſa eſt cur hunc accuſem.* Nam, *ſi ueretur, quid cum accuſem, qui eſt probus? Sin inuerecundum animi ingenium poſſidet, quid eum accuſem qui id parui auditu exiſtimet? quid quod poſtea ait?* Nunc *ego te à ſummo iam dexteram exordio.*

*Quod dicitur contra iudicis uoluntatem, aut eorum qui audiunt: ſi aut partes, quibus illi ſtudent, aut homines,*

*nes,quos illi charos habent, lædantur, aut aliquo huiuſmodi uitio læditur auditoris uoluntas.*

*Non omnes res confirmare, quas pollicitus ſis in propoſitione.*

*De alia re dicere, cùm alia de re controuerſia ſit, aut ad rem addere quid, aut quippiam de re detrahere, aut tota cauſa mutata in aliam deriuare. Vti apud Pacuuium Zetus cum Amphione, quorum controuerſia, cum de muſica inducta ſit, diſputatio in ſapientiæ rationem,& uirtutis utilitatem conſumitur.*

*Cum aliud accuſatoris criminatio continet,aliud defenſoris ratio purgat, ut ſi quis accuſetur ambitu magiſtratum petiſſe,ab imperatoribus ſæpenumero ſe apud exercitum donatum eſſe dicat.*

*Artem,aut ſcientiam,aut ſtudium quodpiam uituperare, propter eorum uitia, qui in eo ſtudio ſunt, ueluti qui Rhetoricam uituperant propter alicuius oratoris uituperandam uitam.*

*Ex eo,quod perperam factum conſtat,putare oſtendi à quo homine factum eſt: ut,Mortuum deformatum, tumore præditum,corpore decoloratum conſtat fuiſſe. Ergo ueneno necatus eſt. quod nequiter factum eſſe ſatis conſtat, de reo autem is an fecerit nécne, nihil conuincitur.*

*In comparandis rebus alteram rem efferre, de altera mentionem non facere,aut negligentius diſputare,ut ſi comparetur, utrum ſatius ſit populum frumentum accipere, an non accipere, quæ commoda ſint, in altera re curet enumerare: quæ in altera re incommoda ſint, uelut depreſſa prætereat, aut ea quæ minima ſunt, dicat.*

In reb

*In rebus comparandis neceſſe putari, alteram rem uituperari, cum alteram laudes.*

De *nomine*, & *uocabulo eius rei controuerſiam ſtruere, quam rem conſuetudo optimè poteſt iudicare: uelut Sulpicius, qui interceſſerat, ne exules, quibus cauſam dicere non licuiſſet, reducerentur. Idem poſterius immutata uoluntate, cùm eandem legem ferret, aliam ſeſe ferre dicebat propter nominum commutationem. nam non exules, ſed ui eiectos ſe reducere aiebat, quaſi id fuiſſet in controuerſia, quo illi nomine appellarētur.*

## DE VITIOSA EXORnatione.

*Exornatio conſtat ex*

*Similibus. Simile uitioſum eſt, quod ex aliqua parte diſsimile eſt, nec habet parem rationem comparationis, aut ſibiipſi obeſt, qui affert.*

Exemplis. *Exemplum uitioſum eſt, ſi aut falſum eſt, ut reprehendatur: aut ſi improbum, ut non ſit imitandum, aut maius, aut minus, quàm res poſtulabit.*

*Iudicatis rebus. Res iudicata uitioſè profertur, ſi aut diſsimili de re proferatur: aut de ea re, de qua controuerſia nō eſt: aut ſi improba, aut eiuſmodi: ut aut plures, aut magis idoneæ res iudicatæ ab aduerſarijs proferri poſsint.*

*Amplificationibus, & cæteris, quæ pertinent ad exaggerandam, & collocupletandam argumentationem. In his uitioſum eſt id, quod aduerſarij factum eſſe*

confit

*confiteantur, de eo argumentari, & planum facere factum eſſe. nam id tantum augeri oportet: aut id augere, quod conuenit doceri. ut ſi quis quem arguat hominem occidiſſe, & antequam ſatis idoneas argumentationes attulerit, augeat peccatum, & dicat, nihil indignius eſſe, quàm hominem occidere. non enim uirum indignum ſit, an non, ſed factum'ne ſit, quæritur.*

## DE VITIOSA COMplexione.

*Complexio uitioſa eſt, quæ non ut quicq; primùm dictum eſt, primum complectitur: & quæ non breuiter concluditur: & quæ non ex enumeratione certum, & conſtans aliquid relinquit, ut intelligatur, quid propoſitum in argumentatione ſit. deinde quid ratione, quid confirmatione, quid tota argumentatione demonſtratum ſit.*

## DE CONFVTATIONE.

*Sed in hac parte, quæ ad faciendam fidem pertinet, quemadmodum noſtra confirmare, eaq; efficere non perturbatè poßimus, ſed ſingulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur, quod ſit conſequens ijs, quæ ſumentur ad quanque rem confirmandam, ſatis expoſitum uidetur. ſequitur, ut de una reliqua parte contentionis dicendum ſit, in qua argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut eleuatur. Atqui ab eodem fonte argumentorum, ac elocutionis fluere neceſſe eſt omnem rationem & confirmationis & confutationis (id quod*

*quod in ſuprà dictis ſæpe oſtendimus) propterea quòd quibus ex locis aliqua res confirmari poßit, iiſdem poßit ex locis infirmari, niſi quòd confutatio plures in defendendo, transferendo, atq; excuſando crimine habet flexus, & affectus aliquanto mitiores. Quare inuentionem, & argumentorum expolitionem ex illis quæ antè præcepta ſunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportet. Veruntamen, ut quædam præceptio detur huius quoq; partis, exponemus modos confutationis, & eos breuiter, quos qui obſeruabunt, facilius ea quæ contrà dicentur, diluere aut infirmare poterunt.*

## MODI CONFVTATIONIS.

### Omnis confutatio quatuor modis fieri poteſt.

I. *Si aut ex iis, quæ ſumpta ſunt, non conceditur aliquod unum, aut plura.*

*Ex iis autem quæ ſumuntur, aliquid non conceditur.*

- *Cùm aut id quod credibile dicunt, negatur eſſe eiuſmodi.*
- *Aut quod comparabile putant, diſsimile oſtenditur.*
- *Aut iudicatum aliam in partem traducitur, aut omnino iudicium improbatur.*
- *Aut quod ſignum eſſe aduerſarij dixerunt, id eiuſmodi negatur eſſe.*
- *Aut ſi complexio, aut una, aut ex utraq; parte reprehenditur.*
- *Aut ſi enumeratio falſa oſtenditur.*
- *Aut ſi ſimplex concluſio falſi aliquid continere demonſtratur.*

II. Aut

II. *Aut his conceſſis, concluſio confici ex his negatur.*

*In quo hæc erunt conſideranda:*

*Num aliud conficiatur, aliud dicatur. ut ſi quis dicat ſe profectum eſſe ad exercitum, & contra eum quis uelit hac argumentatione uti: Si ueniſſes ad exercitum, à tribunis militaribus uiſus eſſes: non es autem uiſus ab his, non es igitur profectus ad exercitum. Hic cùm conceſſeris propoſitionem, & aſſumptionem, concluſio eſt infirmãda: aliud enim, quàm cogebatur, illatum eſt.*

*Ne ambiguum aliquod pro certo concedamus, Si pecunia indigetis, pecuniam non habetis: & ſi pecuniam non habetis, pauperes eſtis. indigetis autem pecunia. mercaturæ enim niſi ita eſſet, operam non daretis: pauperes igitur eſtis.*

*Ne obliuiſcatur, quid in propoſitione poſitum ſit. Sæpe autem oblitum putant, quid conceſſeris, & idcirco id, quod non conficitur, quaſi conficiatur, in cõcluſione infertur: ut, Si ad illũ hæreditas ueniebat, ueriſimile eſt ab illo eſſe necatũ. Deinde hoc approbãt plurimis uerbis, pòſt aſſumunt, Ad illum autẽ hæreditas ueniebat: deinde infertur, Ille igitur occidit. Sed id ex ijs quæ ſumpſerant, non conficitur. Quare obſeruare diligenter oportet, & quid ſumatur, et quid ex his conficiatur.*

III. Aut

III. *Aut ſi genus ipſum argumentationis uitioſum oſtenditur.*

*Si aut in ipſo uitium erit. Atq; in ipſo uitium erit, ſi omnino totum falſum erit, ſi commune, ſi uulgare, ſi leue, ſi remotum, ſi mala definitio, ſi controuerſum, ſi perſpicuum, ſi non conceſſum, ſi turpe, ſi offenſum, ſi contrarium, ſi inconſtans, ſi aduerſum.*

*Quod fit duabus de cauſis:*

*Aut ſi non ad id, quòd inſtituitur, accommodabitur: quòd horum aliquo in uitio reperietur. Si plura pollicitus pauciora demonſtrabit, aut ſi cùm totum debebit oſtendere, de parte aliqua loquatur: ut, Mulierum genus auarum eſt, nam* Eriphyle *auro uiri uitam uendidit. Aut ſi non id, quod accuſabitur, defendet: ut ſi quis, cùm ambitus accuſabitur, manu ſe fortem eſſe defendet, ut* Amphion *apud* Euripidem. *Aut ſi res ex hominis uitio uituperabitur: aut ſi quis cùm aliquem uolet laudare, de felicitate eius, non uirtute dicat. Aut ſi quis rem cum re ita comparabit, ut alteram ſe non putet laudare, niſi alteram uituperarit: aut ſi alteram ita laudet, ut alterius non faciat mentionem. Aut ſi, cùm de certa re quæretur, de communi inſtituetur oratio. Aut ſi ratio alicuius rei reddetur falſa: ut pecunia bonum eſt, propterea quòd ea maximè uitam beatam efficiat, aut ſi infirma, aut eadem, aut parum idonea.*

IIII. *Aut ſi contra firmam argumentationem, aliæ æquè firma, aut firmior ponitur.* Hoc genus *in delibera-*

f tionib

*tionibus maximè uerſatur, cùm aliquid, quod contrà dicatur, æquum aduerſario concedimus, ſed id quod nos defendimus, neceſſarium eſſe demonſtramus: aut cùm id quod illi defendant, utile eſſe fateamur: quod nos dicamus, demonſtremus eſſe honeſtum.*

## DE PERORATIONE.

*Perorationes, quæ apud Græcos* ἐπίλογοι *nominantur, & poſtremum uincendi præſidium in orationibus habent, tripartitæ ſunt:*

*Nam conſtant ex* { *Enumeratione* / *Amplificatione* / *Commiſeratione.* }

## DE ENVMERATIONE.

*Enumeratio, quam* ἀνακεφαλαίωσιν *Græci uocant, eſt per quam colligimus, & commonemus, quibus de rebus uerba fecerimus breuiter, ut renouetur, non redintegretur oratio. & ordine, quicquid erit dictum, referemus, ut auditor, ſi memoriæ mandauerit, ad id quod ipſe meminerit, reducatur. In qua curandum eſt, ne aut ab exordio, aut à narratione repetatur orationis enumeratio. Ficta enim, & dedita opera comparata oratio uidebitur eſſe, artificij ſignificandi, aut ingenij uenditandi, uel memoriæ oſtentandæ cauſa. quapropter initium enumerationis ſumendum eſt à diuiſione. deinde ordine breuiter exponẽdæ ſunt res, quæ tractatæ erunt in confirmatione & confutatione.*

## DE AMPLIFICATIONE.

*Amplificatio, quam* αὔξησιν *Græci, Cicero 1. de Inuent. indignationem uocat, eſt res quæ per locum communem inſtigationis auditorum cauſa ſumitur. Loci autem communes*

munes ex decem præceptis commodiſsimè ſumuntur adaugendi criminis cauſa.

Primus locus ſumitur ab autoritate, cùm commemoramus, quantæ curæ ea res fuerit dijs immortalibus, aut maioribus noſtris, regibus, ciuitatibus, nationibus, hominibus ſapientiſsimis, ſenatui.

Secundus locus eſt, cùm conſideramus, illæ res, de quibus criminamur, ad quos pertineant: utrum ad omnes, quod atrociſsimũ eſt: an ad ſuperiores, quod genus hi ſunt, à quibus autoritatis locus communis ſumitur: an ad pares, hoc eſt in eiſdem partibus animi, corporis, fortunarum poſitos: an ad inferiores, qui omnibus his rebus antecelluntur.

Tertius locus eſt, quo percunctamur, quid ſit euenturum, ſi omnibus, idem concedatur: & ea re neglecta, oſtendemus quid periculorum aut incommodorum cõſequatur.

Quartus locus eſt, quo demonſtratur, ſi huic ſit remiſſum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc expectatio iudicij remoratur.

Quintus locus eſt, per quem oſtendimus, ſi ſemel aliter iudicatum ſit, nullam rem fore, quæ incommodo mederi, aut erratum iudicium corrigere poſsit.

Sextus locus eſt, cùm oſtendemus & conſultò factum, & dicemus uoluntario facinori nullam eſſe excuſationem, ſed imprudentiæ iuſtam deprecationem paratam.

Septimus locus eſt, quo oſtendemus tetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum eſſe.

Octauus locus eſt quo oſtendimus, non uulgare, ſed ſingulare eſſe maleficium, ſpurcum, nefarium, inuſitatum, quo maturius & atrocius uindicandum ſit.

Nonus locus conſtat ex peccatorum comparatione, cùm dicemus, maius eſſe maleficium ſtuprare ingenuam,

*quàm ſacrum lædere: quòd propter egeſtatem alterum, alterum propter intemperantem ſuperbiam fiat.*

*Decimus locus eſt, per quem omnia, quæ in negotio gerendo acta ſunt, quæq; rem conſequi ſolent, exponemus acriter, & crimino ſe, & diligenter, ut agi res, & geri negotium uideatur rerum conſequentium enumeratione.*

## DE COMMISERATIONE.

*Commiſeratio, eſt oratio auditorum miſericordiam captans. hanc breuem eſſe oportet, nihil enim lacryma citius areſcit.*

*Qua commouebitur auditoris animus, ſi*

- *Variam fortunarum commutationem dicemus.*
- *Oſtendemus, in quibus commodis fuimus, quibusq; in incommodis ſumus comparatione.*
- *Quæ nobis futura ſint, niſi cauſam obtinuerimus, enumerabimus, & oſtendemus.*
- *Supplicabimus, & nos ſub eorum, quorum miſericordiam captabimus, poteſtatem ſubijciemus.*
- *Quid noſtris parentibus, liberis, cæteris neceſſarijs caſurum ſit propter noſtras calamitates, aperiemus: & ſimul oſtendemus, illorum nos ſolicitudine & miſeria, non noſtris incommodis dolere.*
- *De clementia, humanitate, miſericordia noſtra, qua in alios uſi ſumus, aperiemus.*
- *Nos ſemper, aut diu in malis fuiſſe oſtẽdemus.*
- *Noſtrum ſtatũ, aut fortunam conqueremur.*
- *Animum noſtrum fortem, patientem incommodorum oſtendemus futurum.*

# PARTITIONVM LIBER TERTIVS.

*

AD OMNEM *iudicialem cauſam quemadmodum conueniret inuentionem rerum accommodari, ſatis explicatum arbitror in libris ſuperioribus. ſequitur, ut earum rationem rerum inueniendarum perſequamur, quæ pertinent ad cauſas deliberatiuas & demonſtratiuas, id quòd in hunc librum tranſtulimus, ut omnis inueniendi præceptio ad finem rectiſsimè perduceretur.* Reliquæ *quatuor partes erant artificij.* De *tribus partibus in hoc etiam libro præcepta dabimus, diſpoſitione, pronunciatione, & memoria.* De *elocutione uerò, quia plura dicenda uidebantur, deinceps in quarto libro dicemus.*

## DE INVENTIONE cauſæ deliberatiuæ.

*Deliberatio genus eſt cauſarum (Græci συμβουλευτικὸν καὶ δημηγορικὸν uocant) quod ex ſuaſione conſtat & diſſuaſione.*

Sunt autem deliberationum diuiſiones duæ.

I. In omni deliberatione

*Aut de duobus quæritur, utrum potius faciendum ſit: ut, Carthago tollenda, an relinquenda uideatur.*

*Aut de pluribus, quid potiſsimum faciendum ſit, conſideratur: ut ſi Annibal conſultet, cùm ex Italia Carthaginem accercitur, an in Italia remaneat, an domum redeat: an in Aegyptum profectus, occupet Alexandriam. Id autem quod in conſultationem cadit, una in re non uerſatur: habet enim deliberatio comparationem, nec utrum melius, ſed quid ſit optimum factu, quæritur.*

II. Deliberationes partim

*Ipſæ propter ſe conſultandæ ſunt: ut ſi deliberet ſenatus, captiuos ab hoſtibus redimat, an non.*

*Propter aliquam extraneam cauſam ueniunt in deliberationem & conſultationem: ut ſi deliberet ſenatus, bello Italico ſoluátne legibus Scipionem, ut eum liceat ante tempus conſulem fieri.*

*Et propter ſe ſunt deliberandæ, & magis propter extraneam cauſam ueniunt in conſultationem, ut ſi deliberet ſenatus, bello Italico ſocijs ciuitatem det, an non.*

## TRACTATIO DELIberationum.

*In quibus igitur cauſis*

*Rei natura faciet deliberationem, omnis oratio ad ipſam rem erit accommodanda, ita ut tota verſetur circa naturā ipſius rei, propter quam ſit deliberatio: ut cùm de captiuis conſultatur, utiléne ſit redimi, an non.*

*Extranea cauſa conficiet deliberationem, in his ea ipſa erit cauſa adaugenda, aut deprimenda. Exemplum eſt de Scipione, in quo aſſumitur extranea cauſa a legum autoritate, quæ in conſultatione poſita, deliberationem facit. ex ea ipſa cauſa rationem augeri oportebit, hoc modo: Amicum ex conſulatu neminem eſſe, qui confligendum ſibi & decertandum cùm hoſte putet præter Scipionem. è contrario: Tantam rem ex uoluntate ſenatus adoleſcenti non eſſe committendam.*

*Et propter ſe, & propter extraneam cauſam deliberationes fiunt, ex utroque argumenta ſumentur.*

## DE FINE CONSVLTAtionum, & qua uia eum tractari conueniat.

*Omnem rationem eorum, qui ſententiam dicent, hoc eſt, qui dictione aut ſuadebunt, aut diſſuadebunt, finem ſibi conueniet utilitatem proponere, ad quem totius orationis ratio conferatur in conſilio dando, ſententiaq́; dicen-*

*da, ut illa prima ſint ſuaſori, aut diſſuaſori uidenda, quid aut pôßit fieri, aut non poßit: & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe.*

*Vtilitas autem in ciuili conſultatione diuiditur in duas partes,* { *Tutam* & *Honeſtam.*

## DE VTILITATE TVTA.

*Tuta utilitas eſt ea, quæ conficit inſtantis, aut conſequêtis periculi uitationem qualibet ratione: ut, Niſi quamprimùm publica accedat autoritas, ut unus adoleſcens Scipio hoſtium crudeliſsimos conatus cohibeat, Remp. funditus perituram ante oculos poſitum eſt. Qui ſi Imperator erit, facilè illorum audaciam franget.*

*Hæc diſtribuitur in* {

*Vim, quæ à dolo ſecernitur per exercitus, claſſes, arma, tormenta, euocationes hominum, & alias huiuſmodi res.*

*Dolum, qui conſumitur in pecuniam, pollicitationes, diſsimulationes, maturationes, mentitiones, & cæteras res. Suaſor horum alterutrum ſeparatim, aut utrunque ſumet coniunctim, hoc modo: Nam Africam terram exercitu & ui ſi Scipio inuaſerit, ita ut pro noſtra ſalute ſceleratiſsimam hoſtium conſpirationem confligat, facilè eorum conſilia franget, præſertim cùm in ipſis hoſtium urbibus fautores habeamus, qui ad amicitiam fidemq; populi Romani libenter ſe applicabunt.*

## DE HONESTA VTI-litate.

*Honeſta res diuiditur in* { *Rectum* / *&* / *Laudabile.* }

## DE RECTO.

*Rectum eſt, quod cum uirtute & officio fit.*

*Id diuiditur in* { *Prudentiam* / *Iuſtitiam* / *Fortitudinem* / *Temperantiam.* }

## DE PRVDENTIA.

*Prudentia, eſt calliditas quæ ratione quadam poteſt delectum habere bonorum & malorum. Dicitur item prudentia ſcientia cuiuſdam artificij. Item appellatur prudentia multarum rerum memoria, & uſus complurium negotiorum. Eius partes ſunt tres, prouidentia, intelligentia, memoria: quarum in prima tempus futurum cernitur, in altera præſens, in tertia parte præteritum.*

His partibus utemur in dicendo,

*Si commoda cum incommodis conferemus, cùm alterum ſequi, uitare alterum cohortemur. ut ſi conſultetur, confligendum Scipioni, & decertandum cum hoſte ſit nécne, & commoda pacis, & belli incommoda enumerentur.*

*Si qua in re cohortabimur aliquem, cuius rei aliquam diſciplinam ſcientiamq́; poterimus habere: & quomodo, aut qua quidq; ratione fieri oporteat, oſtendemus: ut, ſi quis dicat, iam eſſe confligendum & decertandum cum hoſte: quia & locus & tempus & ratio ferat.*

*Si ſuadebimus quippiam, cuius rei geſtæ aut præſentem, aut auditam memoriam poterimus habere, qua in re facile id quod uelimus, exemplo allato perſuadere poterimus: ut, Autoritate igitur ſenatus conſenſuq; populi Romani firmiſsimum exercitum inuicto genere ueteranorum militum ad Carthaginē obſidendam comparemus. Memini enim noſtros patres Africam ſic olim expugnaſſe, ut ſuis præſidijs planè occupatam & obſeſſam tenerent.*

## DE IVSTITIA.

*Iuſtitia eſt æquitas, ius unicuique tribuens pro dignitate cuiuſque. Cuius Cicero partes alibi tres facit: ius naturæ, ius conſuetudinis, ius legis.*

His

His partibus utemur, ſi dicemus,

Aut innocentum, aut ſupplicum miſereri oportere.

Bene merentibus gratiam referri conuenire, & ulciſci malè meritos oportere.

Fidem magnopere conſeruandam.

Leges, & mores ciuitatis egregiè conſeruari oportere.

Societates, atq; amicitias ſtudioſè coli conuenire.

Quod ius in parentes, deos, patriam natura comparauit, id religioſe colendum.

Hoſpitia, clientelas, cognationes, affinitates caſtè colendas eſſe.

Nec prece, nec precio, nec gratia, nec periculo, nec ſimultate à uia recta deduci oportere.

In omnibus æquabile ius ſtatui conuenire.

Rem, quam in concione, aut in conſilio faciendam eſſe cenſebimus, iuſtam eſſe, contrarijs partibus iniuſtam. Ita fiet, ut eiſdem locis ad ſuadendum, & ad diſſuadendum ſimus comparati.

## DE FORTITVDINE.

Fortitudo eſt rerum magnarum appetitio, & rerum humilium contemptio, & laboris cum utilitatis ratione perpeſſio. Partes habet quatuor: Magnificentiam, fidentiam, patientiam, perſeuerantiam.

His

His utemur, ſi oſtendemus,

Res magnas, & excelſas ſequi, & appeti oportere: & item res humiles, & indignas uiris fortibus uiros fortes propterea contemnere oportere, nec idoneas dignitate ſua iudicare.

A' nulla re honeſta periculi, aut laboris magnitudine deduci oportere: antiquiorem mortem turpitudine haberi: nullo dolore cogi, ut ab officio recedatur: nullius pro rei ueritate metuere inimicitias.

Quodlibet pro patria, parentibus, hoſpitibus, amicis, & ijs rebus, quas iuſtitia colore cogit, adire periculum, & quemlibet ſuſcipere laborem.

## DE TEMPERANTIA.

Temperantia eſt in animo continens moderatio cupiditatum. Hæc partes habet tres: Continentiam, clementiam, modeſtiam.

His utemur in dicendo,

Si nimias libidines honoris, pecuniæ, ſimiliumq́; rerum uituperabimus.

Si unamquanq; rem certo naturæ termino definiemus.

Si denique quod cuique ſatis ſit, oſtendemus, & nimium progredi diſſuadebimus, & modum unicuiq; rei ſtatuemus.

## DE LAVDABILI.

Laudabile, eſt quod conficit honeſtam & præſentem, &

& conſequentem commemorationem. Et cum erit demonſtratum rectum, laudabile eſſe

Demonſtrabimus,
- Aut ab idoneis hominibus, ut ſi qua res honeſtiori ordini placeat, quæ à deteriore ordine improbetur.
- Aut ab aliquibus ſocijs, aut omnibus ciuibus, externis nationibus, poſterisq; noſtris.

## DE ORATIONIS partibus.

Exordium uel à principio, uel ab inſinuatione, uel iiſdem rationibus capiendum cenſeo, quibus in iudiciali cauſa. Breue autem ac uerecundum ſit principium (ut ait Cicero) non elatis intenſum uerbis, ſed acutum ſententijs, compoſitione moderatum, uel ad offenſionem aduerſarij, uel ad commendationem ſui. Præcipuus autem locus erit, ut dicamus ex officio & utilitate rerumpublicarum nos agere & conſultare, non ut in aliquem hominem magnum odium, aut in hanc uel illam partem grauem offenſionem concitemus. Vel ſæpe nullum erit exordium. quoniam ad audiendum, qui deliberant, ſua cauſa parati ſunt.

## NARRATIO.

Narratio eius præſertim rei (ut ait Fabius) de qua dicenda eſt ſententia, in priuata deliberatione nulla eſt. In concione uerò frequenter utimur narratione ea, quæ ordinem rei docet. Nec multum ſanè ſæpe narrandum eſt. eſt enim narratio, definitore Cicerone, præteritarum rerum, aut præſentium, deliberatio autem futurarum. Loci

*huius præcipui ſunt, ut narremus probabiliter, apertè, & breuiter. obſcæcat enim obſcura & longa narratio totam orationem.*

## PARTITIO.

*In partitione, quibus de rebus dicturi ſimus, aperitur: qualis eſt in oratione pro lege Manilia apud Ciceronem: Primùm mihi uidetur de genere belli, deinde magnitudine, tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. Et quoniam in deliberando finis eſt utilitas, ad quem omnia referuntur, & ea diuiditur in rationem tutam atq; honeſtam, ſi utrumq; poterimus oſtendere, utrumque pollicebimur nos in dicendo demonſtraturos eſſe: ſin alterum demonſtraturi erimus, ſimpliciter quod dicturi ſumus, oſtendemus. At ſi noſtram rationem tutam eſſe dicemus, diuiſione utemur in uim & conſilium. Nam quod in docendo rei dilucidandæ cauſa dolum appellauimus, id in dicendo honeſtius conſilium appellabimus, quo facilius perſuadere poſſimus. Si rationis noſtræ ſententiam rectam eſſe dicemus: hoc eſt, cum uirtute coniunctam, & omnes partes recti incident, quadripartita diuiſione utemur: ſi non incident, quot erunt, tot exponemus in dicendo.*

## CONFIRMATIO.

*In confirmatione utemur ijs locis, quos antè de utilitate & eius partibus expoſuimus. deinde argumentationis artificioſæ tractandæ rationem de ſecundo libro petemus. Sed ſi acciderit, ut in conſultatione alteri ab tuta ratione, alteri ab honeſta ſententia ſit confirmanda, qui tutam rationem ſequi ſuadebit,*

His locis utetur:

*Nullam rem utiliorem eſſe incolumitate.*

*Virtutibus uti neminem poſſe, qui ſuas rationes in tuto non collocarit.*

*Nec deos quidem eſſe auxilio ijs, qui ſe inconſultò in periculum mittant.*

*Honeſtum nihil oportere exiſtimari, quod non ſalutem pariat.*

Qui tutæ rei præponet rationem honeſtam,

His locis utetur:

*Virtutem nullo tempore relinquendam.*

*Dolorem, ſi is timeatur, uel mortem, ſi ea formidetur, dedecore & infamia leuiorem eſſe.*

*Quæ ſit turpitudo conſecutura, conſiderandum eſſe. at non immortalitatem, neque æternam incolumitatem conſequi, nec eſſe exploratum illo uitato periculo, nullum in aliud periculum eſſe nos uenturos.*

*Virtute, uel ultro ad mortem proficiſci, eſſe præclarum.*

*Fortitudini fortunam quoque eſſe adiumento ſolere.*

*Eum tutè uiuere, qui honeſtè uiuat, non qui in præſentia incolumis ſit: & eum qui turpiter uiuat, incolumem in perpetuum eſſe non poſſe.*

CONF

## CONFVTATIO.

*Confutationis in contrariam partem facultas (ut ſuprà dixi) ex eiſdem ſumitur locis.*

## CONCLVSIO.

*Concluſionibus ferè ſimilibus in his, & iudicialibus cauſis uti ſolemus, niſi quòd hic maximè conducit, quamplurima rerum antè geſtarum exempla proferre, quibus euentus præmonſtremus ſæpe futuros.*

## DE INVENTIONE CAVſæ demonſtratiuæ.

*Genus demonſtratiuum, quod ἐπιδεικτικὸν Græci uocant, laudandi uituperandiq́; rationem habet. Genus autem nullum eſt orationis (Cicero hoc docet in* Partition.) *quod aut uberius ad dicendum, aut utilius ciuitatibus eſſe poßit, aut in quo magis orator in cognitione uirtutum uitiorumq́; uerſetur. nemo enim negat, oratori uirtutum omnium cognitionem, ſine qua laudatio ac uituperatio effici non poßit, eſſe neceſſariam.* Etſi *ſeparatim hæc cauſa minus crebrò tractatur, in iudicialibus tamẽ & deliberatiuis cauſis ſæpe magnæ partes uerſantur laudis & uituperationis. Cuius omnino partes ſunt duæ:* Vna *eſt laus, quæ rerum bonarum, quas in aliqua perſona orator eſſe dicit, continet amplificationem.* Altera *uituperatio, quæ rerum malarum, cum certæ perſonæ deſignatione, amplificationem habet.*

## DE TRACTATIONE laudationis.

*Loci amplificationis in hac parte ſumuntur à bonis*

*Rerum externarum, quæ caſu, aut fortuna ſecunda accidere poſſunt, ut genus, educatio, opes, honores, poteſtas, ciuitates, amicitiæ, & quæ huiuſmodi ſunt.*

*Corporis, quæ natura corpori attribuit commoda, ut forma, robur, uelocitas, dignitas, ualetudo, &c.*

*Animi, quæ conſilio, & cogitatione noſtra conſtant, ut prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia.*

## DE TRACTATIONE uituperationis.

*Vituperatio ex contrarijs tractatur locis, ut oſtendamus malum genus, educationem periculoſam, paupertatem, ſeruitutem, ſtuporem, infirmitatem, tarditatem, turpitudinem, indignitatem, infirmitatem ualetudinis, & imbecillitatem uirium, inſcitiã, iniuſtitiam, timiditatem, libidinem, & quæ ſunt ſimilia, quorum omnium ratio ex ijs quæ diximus ſuppeditatur. Atque his locis & laudandi & uituperandi ſæpe nobis eſt utendum in omni genere cauſarum.*

*mus. quoniam in eodem uirtutis ſtudio ſint, apud quos laudemus, quo ille, qui laudatus fuerit: ſperare nos facilè ijs, quibus uelimus, huius facta probaturos. Si uituperabimus, quoniam norint, pauca de nequitia eius nos eſſe dicturos pollicebimur: quòd ſi ignorēt, petemus ut cognoſcant, ut malitiam uitare poſſint, quoniam diſsimiles ſunt qui audiant, atq; ille qui uituperatur, nos ſperare illius uitam uehementer improbaturos.*

*A' rebus ipſis. A' rebus igitur ipſis dicemus, incertos eſſe quid potiſsimum laudemus: uereri, ne cùm multa dixerimus, plura prætereamus, & quæ ſimiles ſententias habebunt, quibus ſententijs contraria ſumuntur à uituperatione.*

## NARRATIO.

*Narratio in hoc genere non erit ulla, quæ neceſſariò exordium conſequatur, ſed ſi qua inciderit, cùm aliquod factum eius, de quo loquemur, nobis narrandum ſit cum laude, aut uituperatione, præceptio narrandi de primo libro repetetur. Earum enim orationum qua perſonæ laudantur, poteſt incidere ſæpe narratio, quæ hiſtorica quædam eſt commemoratio totius uitæ. Si uerò alicuius facti aut dicti egregij dignitatem ornata oratione & perpolita extollimus, expoſitione rarò utimur, niſi apud eos, qui rei geſtæ hiſtoriam planè atque omnino ignorant. In tractatione rerum rarius incidunt, quorum uice propoſitio erit.*

admodum cæteris detrimento,atque dedecori. Si uires, atque uelocitas egregia,honeſtis hæc exercitationibus dicemus, & induſtrijs comparata. Si ualetudo eſt perpetua, diligentia & temperantia cupiditatum. In uituperatione: Si erunt hæc corporis bona, his malè uſum dicemus,quæ caſu,& natura tanquam quilibet gladiator habuerit. Si non erunt,præter formam omnia ipſius culpa & intemperantia non fuiſſe dicemus.

Animi. In animi bonis illæ quatuor uirtutes, quas paulò antè recenſuimus, accommodandæ erunt & amplificandæ: ut ſi laudemus, aliud iuſtè, aliud fortiter, aliud modeſtè, aliud prudenter factum eſſe dicamus. In uituperatione, è contrario. Deinde uerò, ne id quidem prætereundum arbitror, ad extraneas res harum uirtutum cognitionem maximè conducere, cum uidelicet in ijs animi quæ uirtutes, aut quæ uitia fuerint, conſiderabimus: diuitiæ, an paupertas fuerit, & quæ poteſtates, quæ gloriæ, quæ amicitiæ, quæ inimicitiæ, & quid fortiter in inimicitijs gerendis fecerit, cuius cauſa ſuſceperit inimicitias, qua fide, beneuolentia, officio geſſerit amicitias. In diuitijs qualis, aut in paupertate cuiuſmodi fuerit, quemadmodum habuerit in poteſtatibus gerendis animum. Si interierit, cuiuſmodi mors eius fuerit, cuiuſmodi res mortem eius ſit conſecuta.

## CONFVTATIO.

*Confutatione in hoc genere rarò utimur, niſi ſi quando ſuſpicio inciderit, quam orator infirmet ac diluat oportet, & falſam eſſe doceat. Cuius præcepta contrarijs ex uitijs ſumentur, ut oſtendamus iniuſtè, ignauè, immodeſtè, & ſtultè factum eſſe. quorum omnium ratio locis contrarijs conſtat.*

## PERORATIO.

*Perorationis partes erunt, breuis enumeratio, quæ eſt* ἀνακεφαλαίωσις *Græcè, quæ conſequitur præcipuos aliquot confirmationis locos: & affectus, quibus homines huc & illuc rapimus. Nunc abſoluta prima & difficillima parte rhetoricæ, hoc eſt inuentione perpolita, atque ad omne cauſæ genus accommodata, tempus eſt ad cæteras partes proficiſci. Deinceps igitur de diſpoſitione dicemus.*

## DE DISPOSITIONE.

*Inter ampliſſimas rhetoricæ partes, quibus uel eloquendi lumen & maximam uim conſequimur, uel ad probandum aliquid perſuadendumq; informamur, non aliud utilius, nec præſtantius officium ipſa illa ratione collocandi, quam* οἰκονομίαν *Græci, Latini diſpoſitionem uocant, oratori conceſſum eſt. Hæc enim diſtributio rerum locorumq;, tanquam inſtructio militum facilè in dicendo, ſicut illa in pugnando, párere poterit uictoriam. Eſt autem diſpoſitio, per quam illa quæ inuenimus in ordinem redigimus, ut certo quæq; loco pronuntientur.*

Cuius ratio eſt duplex:

*Vnam, quam cum Cicerone optimo magiſtro 2. de Orat. naturalem ordinem appello, nobis natura ipſa præſcribit, cum uidelicet ex inſtitutione artis ita diſponemus, ut principio utamur, narratione, partitione, confirmatione, confutatione, peroratione: atq; ita ut hunc ordinem, quemadmodum præceptum eſt antè, in dicendo ſequamur. In hoc autem ordine diſpoſitionis, non modò totas cauſas per orationem, ſed etiam per ſingulas argumentationis partes diſponemus: hoc eſt, propoſitionem, rationem, confirmationem rationis, exornationem, complexionem, quæ omnia in ſecundo libro fuſius explicauimus.*

*Alteram, quam artificioſam uoco, oratoris comparat iudicium & prudentia, & ad rationem temporis accommodatur, ut ſi à narratione dicere incipiamus, aut ab aliqua firmiſsima argumentatione, aut à literarum aliquarum recitatione, aut ſi ſecundum principium confirmatione utamur, deinde narratione, aut ſi quam huiuſmodi permutationem, ordinis faciamus: quorum nihil, niſi cauſa ita poſtulet, fieri oportebit.*

## QVANDO NATVRALIS ordo mutetur.

*Si uehementer aures auditorum obtuſæ uidebuntur, atq; animi defatigati ab aduerſarijs multitudine uerborum, commodè poterimus principio ſuperſedere, & exordiri*

*cauſam, aut à narratione, aut ab aliqua firma argumentatione. deinde, ſi commodum erit (quod non ſemper neceſſe eſt) ad principij ſententiam reuerti licebit.*

*Si cauſa noſtra magnam difficultatem uidebitur habere, ut nemo æquo animo principium poßit audire, à narratione cum inceperimus, ad principij ſententiam reuertamur, licebit.*

*Si narratio parum probabilis eſt, exordiemur ab aliqua firma argumẽtatione. His commutationibus, & tranſlationibus partium ſæpe uti neceſſe eſt, cùm ipſa res artificioſam diſpoſitionem artificioſè commutare cogit.*

*In confirmatione, & confutatione argumentationum diſpoſitiones huiuſmodi conuenit habere, firmißimas argumentationes in primis, & in poſtremis cauſæ partibus collocare: mediocres, & neq; inutiles ad dicendum, neque neceſſarias ad probandum, quæ ſi ſeparatim ac ſingulæ dicantur, infirmæ ſunt, cùm cæteris coniunctæ, firmæ & probabiles fiunt, interponi & in medio collocari oportet.* Nam *& re narrata, ſtatim expectat animus auditoris, ex qua re cauſa confirmari poßit: quapropter continuò firmam aliquam oportet inferre argumentationem.*

## DE MEMORIA.

*Memoria omnium rerum theſaurus, cæterarumq́; ingenij partium cuſtos, maximam ferè in dicendo uim habet ac poteſtatem: atq; ita, ut quæ niſi conſeruatrix inuentis excogitatisq́; rebus & uerbis adhibeatur, intelligimus omnia, ut ait* Cicero, *etiam ſi præclara fuerint, in oratore peritura.* Nam *& ea quæ didicit orator in accipienda cauſa, tum quæ ipſæ cogitauit, conſeruat: & omnium rerum notatam in animo diſtributionem, ſententiarum plenitud*

nitudinem, deſcriptum uerborum apparatum infligit: & res cæcas, hoc eſt ab aſpectus iudicio remotas, per locos quoſdam & imagines & figuras notat atque confirmat. Cuius uis & admirabilis ueluti bonitas, quoniam ſola ferè in natura principe dominatur, uidit prudenter Simonides Chius, qui primus artem memoriæ inueniſſe fertur, ordinem eſſe maximè rerum & locorum, qui memoriæ lumen afferret, ſi quis eum poſſet educere, atque præcipiendo (ars enim eſt dux certior quàm natura) meliorem reddere. Plato in libro de Summo bono, qui Philebus inſcribitur, rectè inquit memoriam ad ſenſus conſeruationem tenebimus, quam in Critia Mnemoſynen, id eſt, Muſarum matrem uocat, in qua præcipua orationis noſtræ momenta atque in dicendo ſubſidia Ciceroni optimo magiſtro, in Oratore ad Brutum poſita eſſe uidentur: & ob id à Fabio eloquentiæ theſaurus dicitur.

Sunt autem duæ memoriæ:

Vna naturalis, quæ noſtris animis inſita eſt, & ſimul cum cogitatione nata. Virtus eius eſt duplex, facilè percipere, & fideliter retinere: illud humidæ, hoc ſiccæ naturæ beneficio iuuari putant.

Altera artificioſa, quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis. Sed quia in cæteris rebus ingenij bonitas imitatur ſæpe doctrinam, ars porrò naturæ bona confirmat & auget: ita fit in hac re, ut nonnunquam naturalis memoria, ſi cui data eſt egregia, ſimilis ſit huic artificioſæ.

## DE MEMORIA ARtificioſa.

*Cùm igitur maxima uis memoriæ ſit, eaq́; duplex: altera à natura petenda eſt, altera inductione quadam & ratione præceptionis confirmanda: de qua latior patet ratio.*

*Cōſtat autem artificioſa memoria ex*

*Locis, qui breuiter, perfectè, inſignitè aut natura, aut manu ſunt abſoluti, ut eos facilè naturali memoria comprehendere & amplecti queamus, ut ædes, intercolumnium, angulum, fornicem, feneſtram, montes, prata, flumina, & alia, quæ his ſimilia ſunt.* Oportet igitur, ſi uolumus multa meminiſſe, multos nobis locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare poſsimus: & putamus oportere ex ordine hos locos habere, ut perpetuò nobis hærere poſsint. Eſt autem commodius in derelicta, quàm in celebri regione locos comparare, propterea quòd frequentia & obambulatio hominum conturbat & infirmat imaginum notas. Solitudo conſeruat integras ſimulacrorum figuras. Præterea diſsimiles forma atque natura loci comparandi ſunt, ut diſtinctè interlucere poſsint.

*Imaginibus, quæ ſunt formæ quædam & notæ, & ſimulacra earum rerum, quas meminiſſe uolumus, quod genus equi, leones, aquilæ: quorum memoriam ſi uolemus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit.*

tebit. Et quoniam rerum ſimiles imagines eſſe oportet, & ex omnibus uerbis notas nobis ſimilitudines eligere debemus, duplices ſimilitudines eſſe debent: unæ rerum, quæ exprimuntur, cùm ſummatim ipſorum negotiorum imagines comparamus: alteræ uerborum, quæ conſtituuntur, cum uniuſcuiuſque nominis & uocabuli memoria imagine notatur. Simonides ille II. de Oratore apud Ciceronem ijs qui hanc partem ingenij exercerent, locos eſſe capiendos putauit, & ea quæ memoria tenere uellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda: ſic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conſeruaret: res autem ipſas rerum effigies notaret, atque ut locis pro cera, ſimulacris pro literis uteremur.

## DE PRONVNCIAtione.

Pronunciatio ſiue actio, quæ quidem oratori motu corporis, quæ geſtu, quæ uultu, quæ uocis confirmatione ac uarietate moderanda eſt, maximam in oratione inuentis excogitatisq; rebus & uerbis uim affert & lumen. Nam & ea ad docendum perſuadendumq; plurimum ualet: & dilucidam orationem (ut ait in Part.) & illuſtrem, & probabilem, & ſuauem, non uerbis, ſed uarietate uocum, motu corporis, uultu facit. Vidit hoc prudenter Demoſthenes orator ille magnus, pronunciationem in orationibus plurimùm poſſe, ita ut primas ei partes, ſecundas, ac tertias attribuiſſe uideatur. Etenim

commod

*commodæ inuentiones, & concinnæ uerborum elocutiones, & partium cauſæ artificioſæ diſpoſitiones, & horum omnium diligens memoria ſine pronunciatione, non plus quàm ſine his rebus pronunciatio ſola ualere poterit.*

| | |
|---|---|
| *Conſiſtit autem actio omnis in moderatione* | *Vocis* & *Corporis* |

## DE MODERATIONE uocis.

*Moderatio uocis eſt ea, quæ ſuum quendam poßidet habitum ratione & induſtria comparatum:*

| | |
|---|---|
| *Cuius partes ſunt tres:* | *Magnitudo uocis, quam maximè comparat natura nonnihil hanc auget, ſed maximè cura conſeruat.*<br>*Firmitudo. eandem maximè natura comparat, nonnihil adauget, & maximè conſeruat exercitatio declamationis.*<br>*Mollitudo, qua uocem torquere pro commodo noſtro poſſumus, maximè quoq; exercitatione declamationis comparatur.* |

## DE FIRMITVDINE uocis.

De *magnitudine uocis ( quoniam à natura eſt ) & ea firmitudinis parte, quam natura comparat, ſatis dictum eſt.* De *ea parte firmitudinis, quæ conſeruatur ratione declamationis, & de mollitudine uocis, quæ maximè neceſſaria eſt oratori, latiſſimè patet ratio.* Firmam *igitur quàm maximè poterimus in dicendo uocem conſeruare, ſi ſedata & depreſſa uoce principia dicemus. nam læduntur arteriæ, ſi antequam leni uoce permulſæ ſunt, acri clamore compleantur.* Si *interuallis longioribus utemur, quæ uocem confirmant, & ſententias concinniores partitione reddunt, & auditori ſpacium cogitandi relinquunt.* Et *continuum clamorem remittere, & ad ſermonem tranſire oportet, & acutas uocis exclamationes uitare. quoniam conſeruat uocem continui clamoris remiſſio.* Sed *uno ſpiritu continenter multa dicere, in extrema conuenit oratione, cum fauces calefiunt, & arteriæ complentur: & uox quæ uariè tractata eſt, reducitur in quendam ſonum æquabilem atque conſtantem.* Itaque *quod dicimus ad uocem conſeruandam prodeſſe, idem etiam attinet ad ſuauitatem pronunciationis: ut quod noſtræ uoci proſit, idem uoluptate auditoris probetur.*

## DE MOLLITVDINE uocis.

Mollitudo uocis partes habet tres:

*Sermonem, quæ eſt oratio remiſſa, & finitima quotidianæ locutioni. ea diuiditur*

IN

*Dignitatem, quæ eſt oratio cum aliqua grauitate & uocis remiſsione*

*Demonſtrationem, quæ docet remiſſa uoce quomodo quid fieri potuerit, aut non potuerit.*

*Narrationem, quæ rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum eſt expoſitio.*

*Iocationem, quæ ex aliqua re riſum pudentẽ & liberalem poteſt comparare.*

*Contentionem, quæ oratio acris eſt, & ad confirmandum, & confutandum accommodata. ea diuiditur*

IN

*Continuationem quæ orationis enunciandæ acceleratio eſt clamoſa.*

*Diſtributionem, quæ oratio eſt in contentione frequens, cum raris & breuibus interuallis acri uociferatione.*

*Amplificationem, quæ aut ad iracundiam inducit, aut ad miſericordiam trahit auditoris animum. ea diuiditur*

IN

*Cohortationem, quæ aliquod peccatum amplificans, auditorem ad iracundiam adducit.*

*Conqueſtionem, quæ incommodorum amplificatione animum auditoris ad miſericordiam perducit.*

QVAE

## QVAE CVIVSQVE PARTIS idonea pronunciatio ſit.

*Sermo cùm eſt in dignitate, plenis faucibus quàm ſedatißima & depreßißima uoce uti conueniet, ita tamen, ut ne ab oratoria conſuetudine ad tragicam tranſeamus.* Dignitas.

*Cùm autem eſt in demonſtratione uoce paulùlum attenuata, crebris interuallis & diuiſionibus oportet uti.* Demonſtratio.

*Cùm autem ſermo in narratione eſt, tum uocum uarietate opus, ut quo quidq; pacto geſtum ſit, ita narrari uideatur.* Narratio.

*Sin erit ſermo in iocatione, leniter tremebunda uoce cum parua ſignificatione riſus, ſine ulla ſuſpicione nimiæ coachinnationis oportebit à ſermone ſerio torquere ad liberalem iocum uocem.* Iocatio.

*Et cùm contendere oportebit, quoniam id aut per continuationem, aut per diſtributionem faciendum eſt, in continuatione adaucto mediocriter ſono uocis, uerbis continuandis uocem quoq; adaugere oportebit, & torquere ſonum, & celeriter cum clamore uerba conficere, ut uim uolubilem orationis uociferatio conſequi poßit.* Continuatio.

*In diſtributione uocem ab imis faucibus exclamatione quàm clarißima adhibere oportet, & quantum ſpacij per ſingulas exclamationes ſumpſerimus, tantum in ſingula interualla ſpacij conſumere iubemur.* Diſtributio.

*In amplificationibus, cum cohortatione utemur uoce attenuatißima, clamore leni, ſono æquabili, commutatiõnibus crebris, maxima celeritate.* Cohortatio.

*In conqueſtione utemur uoce depreſſa, inclinato ſono, crebris interuallis, longis ſpacijs, magnis commutationibus.* Conqueſtio.

## DE MOTV CORPORIS.

*Motus corporis eſt geſtus, & uultus moderatio quædam, quæ probabiliora reddit ea, quæ pronunciantur: in uultu pudorem & acrimoniam conuenit eſſe: in geſtu nec uenuſtatem conſpicuam, nec turpitudinem, ne aut hiſtriones, aut operarij uideamur eſſe. Ad eaſdem autem partes, in quas moderatio uocis eſt diſtributa, motus quoq; corporis ratio uidetur eſſe accommodanda.*

Dignitas. *Si erit ſermo cum dignitate, ſtantes in ueſtigio, leni dexteræ motu loqui oportebit, hilaritate, triſtitia, mediocritate uultus ad ſermonis ſententias accommodata.*

Demonſtratio. *Sin erit in demonſtratione ſermo, paululum corpus à ceruicibus demittemus. nam hoc eſt à natura datum, ut quàm proximè uultum admoueamus ad auditores, ſi quam rem docere eos & uehementer inſtigare uelimus.*

Narratio. *Sin erit in narratione ſermo, idem motus poterit idoneus eſſe, qui paulo antè demonſtrabatur in dignitate.*

Iocatio. *Sin erit in iocatione, uultu quandam debebimus hilaritatem ſignificare ſine commutatione geſtus.*

Continuatio. *Sin contendemus per continuationem, brachio celeri, mobili uultu, acri aſpectu utemur.*

Diſtributio. *Si uerò contentio fiet per diſtributionem, celeri porrectione brachij, inambulatione, pedis dextri rara ſupploſione, acri & defixo aſpectu uti oportet.*

Cohortatio. *Quòd ſi amplificatione per cohortationẽ utemur, paulo tardiore & conſideratiore geſtu conueniet uti, ſimilibus cæteris rebus, atq; in contentione per continuationem.*

Conqueſtio. *Sin utemur amplificatione per conqueſtionem, fœmineo plangore, & capitis ictu, nonnunquam ſedato & conſtanti geſtu, mœſto & conturbato uultu uti oportebit.*

PART

# PARTITIONVM LIBER QVARTVS.

## DE ELOCVTIONE.

ELOCVTIO, *quam* φράσιν *Græci dicunt, unde & eloquentiæ nomen ortum eſſe putant, omnium partium ut pulcherrima, ita quoq; utiliſsima atq; difficillima eſt, in qua oratoris uis illa diuina uirtusq; cernitur, quam cum Cicerone optimo doctore, in* Part. *copioſè loquendi ſapientiam definio.* Nam *& ea profuſæ & immenſæ rerum omnium inuentioni uarietatem plenitudinemq; addit: & certis dicendi luminibus, res in orationibus explicat atq; exornat: & flumen grauiſsimis ſententijs, & optimis uerbis, proprijs, aptè translatis, ſonantibus ad dicendi genus adducit.* Nec *ſolùm ex flumine iſto elocutionis eligere uerba oportet, ſed etiam collocare.* Vis *enim ac facultas elocutionis in ſimplicibus uerbis & coniunctis uerſatur, quarum illa inuenienda ſunt, hæc collocanda. eſt enim quidam ornatus, qui ex ſingulis uerbis eſt: alius, qui ex coniunctis conſtat.* Eligere *autē & ſuo quicq; loco collocare de ſententia* Ciceronis *in* Oratore, *&* Fabij Quintiliani *libro* Inſtitutionum *oratoriarum octauo, nequaquam facilè eſt.* Sic M. Antonius *dicere ſolebat, diſertos ſe uidiſſe multos, eloquentem adhuc neminem.* Et M. Tullius *(ut ait* Fabius*) inuentionem quidem & diſpoſitionem prudentis hominis putauit, eloquentiā uerò oratoris.* Ratio *enim inueniendi & collocandi communis omnium eſſe poteſt, qui uel antiquitatis clariſsima monumenta in*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*codicillos referunt, atq; hiſtorias literis memoriæq; mandant, uel qui de aliqua re loquuntur: eloqui aptè, diſtinctè ornateq;, admodum paucis conceſſum eſt. Sed quoniam bipertita nobis elocutionis eſt præceptio, primum dicemus quas res omnis oratoria elocutio habere debet. quæ pars in ſermone* Latino *atq; perſpicuo, & compoſitione & dignitate poſita eſt: deinde quibus in dicendi generib. uerſetur.*

| | |
|---|---|
| *Elocutio igitur commoda & perfecta, tres res in ſe habere debet,* | *Sermonem* Latinum *& perſpicuum*<br>*Compoſitionem*<br>Dignitatem. |

## DE LATINO ET PERſpicuo ſermone.

*De his autem quæ in elocutione poſuimus, hæc ſit prima cura, ut latinè & perſpicuè ad rerum dignitatem atq; naturam loquamur, & uerba efferamus ea, quæ (ut ait de* Orat.) *nemo iure reprehendat. Latinus autem ſermo & perſpicuus ex grammaticis diſcitur, qui orationem puram atq; ab omni uitio intermiſſam conſeruat, & facit ut unūquodq; purè & apertè & dilucidè dici uideatur. Conſtat autem latinus ſermo uſitatis uerbis, quæ in uſu quotidiani ſermonis uerſantur: & proprijs, quæ eius rei ſunt, de qua loquetur.* Nec *uerò proprietates ad nomen duntaxat, ſed multo etiam magis ad uim ſignificationis referri ac poteſtatē oportet: nec auditu, ſed intellectu perpendi. Ita tranſlatio quoq;, in qua ferè maximus eſt elocutionis uſus, uerba non ſuis rebus accommodat. ſed tamen aliquando habet etiam in oratione inuſitatum aliquod uerbum, aut poëticum, dignitatem, quibus loco poſitis (ut Ciceronis uerbis utar) grandior atq; antiquior oratio ſæpe uideri ſolet. Poë-*

*tas*

*tas enim omnino quaſi alia quadam lingua loqui, nemo eſt qui ignoret. Vitia deniq; in ſermone, quo minus is latinus ſit, duo enumerantur, barbariſmus & ſolœciſmus: quorum ille, cùm uerbum aliquod uitiosè effertur: hic, cùm uerbis pluribus conſequens uerbum ſuperiori non accommodatur, committi ſolet.*

## DE COMPOSITIONE.

*Compoſitio eſt uerborum conſtructio, quæ facit omnes partes orationis æqualiter perpolitas.*

*Ea rectè cōſeruabitur, ſi*

*Fugiemus crebras uocalium concurſiones, quæ uaſtam atq; hiantem orationem reddunt: ut hoc eſt, Vaccæ æneæ amœniſſimè impendebant.*

*Vitabimus eiuſdē literæ nimiam aſſiduitatem: cui uitio uerſus hic erit exemplo, O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti. & hic eiuſdē poëtæ, Quicquā quiſquam cuiquā quod conuenit neget.*

*Eiuſdem uerbi aſſiduitatē nimiam fugiemus. ea eſt huiuſmodi, Nam cuius rationis ratio non extent, ei ratio non eſt fidem habere.*

*Non utemur continenter ſimiliter cadentibus uerbis, hoc modo: Flentes, plorantes, lacrymantes, obteſtantes.*

*Verborum tranſiectionem uitabimus, niſi quæ erit concinna: de qua re poſterius loquetur. quo in uitio eſt Lucilius aſſiduus, ut hoc eſt in priore libro: Has res ad te ſcriptas Luci, miſimus Aeli.*

*Fugiemus longam uerborū continuationē, quæ & auditoris aures, & oratoris ſpiritum lædit.*

## DE DIGNITATE.

*Dignitas eſt, quæ reddit ornatam orationem uarietate*

*diſtinguens. hæc & in uerborum & ſententiarum exornationem diuiditur.*

*Verborum exornatio eſt, quæ ipſius ſermonis inſignita continetur perpolitione.*

*Sententiarum uerò, quæ non in uerbis, ſed in ipſis rebus quandam habet dignitatem.*

## DE ORNAMENTIS uerborum.

*Sunt autem ornamenta uerborum,*

| | |
|---|---|
| Repetitio | Diſiunctio |
| Conuerſio | Coniunctio |
| Complexio | Adiunctio |
| Traductio | Reduplicatio |
| Contentio | Interpretatio |
| Exclamatio | Commutatio |
| Interrogatio | Permiſsio |
| Ratiocinatio | Dubitatio |
| Sententia | Expeditio |
| Contrarium | Aſyndeton |
| Membrum | Polyſyndeton |
| Articulus | Præciſio |
| Continuatio | Concluſio |
| Compar | Nominatio |
| Similiter cadens | Pronominatio |
| Similiter deſinens | Denominatio |
| Agnominatio | Circuitio |
| Subiectio | Tranſgreſsio |
| Gradatio | Superlatio |
| Definitio | Intellectio |
| Tanſitio | Abuſio |
| Correctio | Translatio |
| Occupatio | Permutatio. |

Repetitio

*Repetitio eſt, cùm continenter ab uno, atq; eodem uerbo, in rebus ſimilibus atque diuerſis principia ſumuntur, hoc modo: Vobis iſtud attribuendum eſt, uobis gratia habenda, uobis res iſta erit honori. In hac exornatione multum uenuſtatis, grauitatis atque acrimoniæ eſt: eáq; Demoſtheni & Ciceroni familiaris, & inſignis ad illuſtrandam atque exornandam orationem, præſertim cum uehementi quadam incitatione orator inflammatur: atq; hoc maximè fit in contentione, ubi amplificationibus, quæ inducunt, aut ad miſericordiam trahunt auditoris animum: & quaſi grauioribus argumentis tractanda quæq; res eſt.* Επαναφορά.

*Conuerſio eſt, quæ non ab uno, atq; eodem uerbo principia ſumit, ſed eodem uerbo continenter orationem claudit. eſtq; ſuperiori contraria: ut, Ex quo tempore concordia de ciuitate ſublata eſt, libertas ſublata eſt, fides ſublata eſt, amicitia ſublata eſt.* Αντιςροφή.

*Complexio ſiue complexum eſt, quæ utranq; complectitur exornationem, & hanc, & quam antè expoſuimus, ut & repetatur idem primum uerbum ſæpius, & crebro ad idem poſtremum reuertatur: ut, Qui ſunt qui fœdera ſæpe ruperunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui Italiam deformauerunt? Carthaginenſes.* Συμπλοκή.

*Traductio eſt (poëtis πολύπτωτον dicitur) quæ facit, ut, cum idem uerbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, ſed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto: Diuitias ſine diuitum eſſe: tu uerò uirtutem præfer diuitijs. nam ſi uoles diuitias cum uirtute comparare, uix ſatis idoneæ tibi uidebuntur diuitiæ, quæ uirtutis pediſſequæ ſint. Ex eodem genere eſt exornationis, cùm* Πλοκὴ καὶ ἐπάνοδος.

*Quia uiri fortis eſt, qui de uictoria contendant, eos hoſtes putare: qui uicti ſunt, eos homines iudicare: ut poßit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. & ille ſi uiciſſet, num idem feciſſet? non profectò tam ſapiens fuiſſet. Quid igitur ei parcis: quia talem ſtultitiam contemnere, non imitari conſueui.*

*Sententia eſt oratio ſumpta de uita, quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in uita breuiter oſtendit, hoc modo: Difficile eſt primùm uirtutem reuereri, cum qui ſemper ſecunda fortuna ſit uſus. Item, Liber is eſt exiſtimandus qui nulli turpitudini ſeruit. Sed illud quoq; probandum eſt ſententiæ genus, quod confirmatur ſubiectione rationis, hoc modo: Omnes benè uiuendi rationes in uirtute ſunt collocandæ: propterea quòd ſola uirtus in ſua poteſtate eſt: omnia præter eam ſubiecta ſunt fortunæ dominationi. Sententiarum Quintilianus multa ponit genera, quæ nonnunquam illuſtrandæ atq; exornandæ, nonnunquam fidei faciendæ cauſa aſſumuntur.* Γνώμη.

*Contrarium idem ferè eſt quod contentio. Contrarium eſt, quod ex rebus diuerſis duabus, alteram breuiter, & facilè confirmat, hoc pacto: Nam qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eum quomodo alienis rebus amicum fore ſperes? Item: Qui in ſermonibus & conuentu amicorum uerum dixerit nunquam, cum ſibi in concionibus credis à mendacio temperaturum? Hoc ornamenti genus, quod quidem fit multis modis, breuibus & continuatis uerbis perfectum eſſe debet: & cùm commodum eſt auditu propter breuem & abſolutam cõcluſionem, tum uerò uehementer id, quod opus eſt oratori, comprobat contrariare, & ex eo quod dubium non eſt, expedit illud quod dubiũ eſt, ut aut dilui non poßit, aut multo difficillimè poßit.* Ἀντίθεσις.

Κῶλον. *Membrum orationis appellatur, res breuiter abſoluta ſine totius ſententiæ demonſtratione, quæ denuo alio membro orationis excipitur: ut,* Et *inimico proderas, & amicum lædebas.* Ex *duobus membris ſolis, hæc exornatio poteſt conſtare: ſed commodiſſima & abſolutiſſima eſt, quæ ex tribus conſtat, hoc pacto:* Et *inimico proderas, & amicum lædebas, & tibi ipſi non conſulebas.*

Διάλυτον. *Articulus dicitur, cùm ſingula uerba diſtinguuntur cæſa oratione, hoc modo:* A*crimonia, uoce, uultu, aduerſarios perterruiſti.* I*nimicos inuidia, iniurijs, potentia, perfidia ſuſtuliſti.*

Περίοδος. *Continuatio, quam in oratore tum ambitum, tum circuitum, tum comprehenſionem, aut circumſcriptionem uocat, eſt denſa & continens frequentatio uerborum, cum abſolutione ſententiarum. ea utemur commodiſſimè tripartitò: in ſententia, in contrario, in concluſione.* In *ſententia, hoc pacto:* Ei *non multum poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in uirtute, quàm in caſu præſidium collocauit.* In *contrario, hoc modo:* N*am ſi quis ſpei non multum collocarit in caſu, quid eſt quod ei magnopere caſus obeſſe poſſet?* In *concluſione, hoc pacto:* Q*uòd ſi in eos plurimum fortuna poteſt, qui ſuas rationes omnes in caſum contulerunt: non ſunt omnia committenda fortunæ, ne magnam nimis in nos habeat dominationem.*

Ἰσόκωλον. *Compar appellatur, quod habet in ſe membra orationis, de quibus antè diximus, quæ conſtant ex pari ferè numero ſyllabarum: hoc non de enumeratione noſtra fiet. nam id quidem puerile eſt, ſed tantum affert uſus, & exercitatio facultatis, ut animi quodam ſenſu, par membrum ſuperiori referre poſſimus, quale eſt pro* L. Valerio Flacco: N*ominibusq; recitatis homo audaciſſimus pertimuit,*

*loqui*

*loquaciſsimus obmutuit.* Item, In *prælio mortem pater oppetebat,domi filius nuptias comparabat.*

*Similiter cadens exornatio dicitur, cùm in eadem conſtructione uerborũ,duo aut plura ſunt uerba,quæ ſimiliter iiſdem caſibus efferuntur, hoc modo:* Hominem *laudas egentem uirtutis, abundantem fœlicitatis.* Cicero pro Flacco: Nulla *in his eſt uarietas opinionis,nulla uoluntatis,nulla ſermonis.* Ὁμοιόπ[τω]τον.

*Similiter deſinens eſt,cùm dictiones uel ſententiæ ſimiles habent exitus:ut,*Turpiter *audes facere,nequiter ſtudes dicere.* Viuis *inuidioſè, delinquis ſtudioſè, loqueris odioſè. Hæc duo genera ornamenti inter ſe uehementer conueniunt: quorum alterum in exitus, alterum in caſus ſimilitudine uerſatur.* Ὁμοιοτέλευτον.

*Annominatio, quædam ex literarum ſimilitudine in contrarium declinatio,eſt,cum ad idem uerbum acceditur, commutatione unius literæ, aut literarum: aut ad res diſſimiles ſimilia uerba accommodantur. ea multis & uarijs rationibus conficitur: addendis literis hoc pacto:* Hic *ſibi poſſet temperare,niſi amori mallet obtemperare.*Demen*dis literis, ſic:* Si *lenones tanquam leones uitaſſet, uitæ ſe tradidiſſet.* Transferendis *literis, ſic:* Videte *iudices utrũ homini nauo an uano credere malitis. Commutandis, hoc modo:* Deligere *oportet,quem uelis diligere.* Παρονομασία.

*Subiectio eſt,cùm interrogamus aduerſarios: aut quærimus ipſi quid ab illis, aut quid contra nos dici poſsit. deinde ſubijcimus id quod dici oportet,aut quod nõ oportet: aut nobis adiumento futurum ſit, aut offuturum illis è contrario: ut,* Quæro *igitur, unde iſte tam pecunioſus factus ſit? Amplum patrimonium relictum eſt? at patris bona uenierunt. hæreditas aliqua obuenit? non poteſt dici,* Ἀνθυποφορὰ ſeu ἀνθυπαγωγή.

*ſed etiam à neceſſarijs omnibus exhæredatus eſt. præmium aliquod ex lite, aut iudicio cepit? non modò id non fecit, ſed etiam inſuper ipſe grandi ſponſione uictus eſt.* Ergo *ſi his rationibus locupletatus non eſt, ſicut omnes uidetis: aut iſti domi naſcitur aurum, aut unde licitum non eſt, pecunias accepit.*

Κλίμαξ. Gradatio κλίμαξ *Græcis dicitur, eaq́; non diſsimilis eſt argumentationi, quam* σωρείτης *Græci, Cicero aceruialem uocat Syllogiſmum: repetit enim proximum uerbum per gradus ad alia deſcendens, hoc modo:* Africano *induſtria uirtutem, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit.*

Ὁρισμός. *Definitio eſt, qua rei alicuius propria uis explicatur, breuiter & abſolutè, hoc modo:* Non *eſt iſta diligentia, ſed auaritia: eo quòd diligentia eſt accurata conſeruatio ſuorum: auaritia, iniurioſa appetitio alienorum.* Item*;* Maieſtas Reipub. *eſt, in qua continetur dignitas & amplitudo ciuitatis.*

Μετάστασις. *Tranſitio eſt, qua monemus breuiter quid dictum ſit, & quid conſequatur: ut,* In *patriam qualis fuerit, habetis: nunc in parentes qualis extiterit, accipite.* Cicero *pro lege* Manilia: Quoniam *de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.*

Ἐπανόρθωσις. *Correctio eſt, quæ tollit quod dictum eſt, & aliud magis idoneum in eius locum reponit.* Cicero *in* C. Verrem: *Sed quid ego his teſtibus utor? quaſi res dubia aut obſcura ſit. adſunt homines ex tota prouincia nobiliſsimi, qui præſentes uos orant, atq; obſecrant iudices, ut in actore cauſæ ſuæ diligendo, ueſtrum iudicium à ſuo iudicio ne diſcrepet. omnium ciuitatum totius Siciliæ legationes adſunt, præter duas ciuitates, &c.* Item: Quòd *ſi iſte ſuos hoſpites*

*rogaſſet, immò innuiſſet modò, hoc facile perfici poſſet.*

*Occupatio, quam præteritionem uocant, eſt cùm nos præterire ſimulamus, aut non ſcire, aut nolle dicere, quod maximè dicimus, hoc modo:* Non dico te à ſocijs pecunias *accepiſſe: non ſum in eo occupatus, quòd ciuitates, regna, domos omnium depeculatus es: furta, rapinas omnes tuas omitto.* Παράληψις.

*Diſiunctio eſt, cùm eorum de quibus dicimus, aut utrunque, aut unumquodque certo concluditur uerbo, ſic:* Populus Rom. *Numantiam deleuit, Carthaginem ſuſtulit,* Corinthum *diſiecit,* Fregellas *euertit.* Item: Formæ *dignitas, aut morbo defloreſcit, aut uetuſtate extinguitur.* Διάζευγμα.

*Coniunctio eſt, quæ per interpoſitionem uerbi, & ſuperiores orationis partes comprehendit & inferiores, hoc modo:* Formæ *dignitas, aut morbo defloreſcit, aut uetuſtate.* Μεσόζευγμα.

*Adiunctio eſt, quæ uerbum non interponit, ſed aut primum, aut poſtremum collocat. Primum hoc pacto:* De*floreſcit formæ dignitas, aut morbo, aut uetuſtate.* Poſtre*mum ſic:* Cicero *in Catil.* Nihil'ne te nocturnum præſi*dium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil timor populi, nihil concurſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora uultusq; mouerunt?* Ὑπόζευγμα.

*Reduplicatio, eſt eiuſdem uerbi cum ratione amplificationis, aut commiſerationis iteratio, quam* ἐπανάληψιν *uocant.* Cicero *in Catil.* Hic tamen uiuit: uiuit? immò *etiam in ſenatum uenit.* Nunc etiam audes in horum con*ſpectum uenire proditor patriæ: proditor inquam patriæ, uenire audes in horum conſpectum?* Auditorem ue*hementer commouet eiuſdem uerbi redintegratio, & uulnus maius efficit in contrario cauſæ, quaſi aliquod telum* Ἀναδίπλωσις.

*ſæpius perueniat in eandem partem corporis.*

Συνωνυμία. *Interpretatio ſiue nominis communio eſt, quæ non iterans idem redintegrat uerbum: ſed id commutat, quod poſitum eſt alio uerbo, quod idem ualeat, hoc modo:* Remp. *radicitus euertiſti, ciuitatem deieciſti.* Cicero *in actione pro* Quint. Ligario: *Quid enim tuus ille* Tubero *diſtrictus in acie* Pharſalica *gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

Ἀντιμεταβολή. *Commutatio eſt, quæ ſententiam per contrarium inuertit: hoc eſt, cum duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes, ex tranſiectione ita efferuntur, ut à priore poſterior contraria priori proficiſcatur, hoc modo: Si poëma, loquens pictura eſt: pictura, tacitum poëma debet eſſe.* Talis eſt *illa* Ariſtotelis: Beati *quorum fortunæ ſapientia, & quorum ſapientiæ fortuna ſuppeditat.* Et illa apud Ciceronem *in* Officijs: Non *quod utile, idem honeſtum eſt: ſed quod honeſtum, id ualde utile eſt.*

Συγχώρησις. *Permiſſio eſt, quàm &* ἐπιτροπὴν *uocant, cùm oſtendimus in dicendo nos aliquam rem totam tradere, & concedere alicuius uoluntati, ſic:* Quoniam *omnibus rebus ereptis, ſolum mihi ſupereſt animus, & corpus: hæc ipſa, quæ mihi de multis ſola relicta ſunt, uobis & ueſtræ condono poteſtati.* Ex *eodem fonte manat & hoc ornamentum, quod communicationem uocant, cùm aliquid iudicibus relinquimus æſtimandum, ſic:* Vobis *iudices cogitandum relinquo, quid hinc detrimenti* Reſpub. *acceperit.*

Ἀπορία. *Dubitatio eſt, cum quærere uidetur orator, utrum de duobus potius, aut quid de pluribus potiſſimum dicat, ſic:* Obfuit *eo tempore plurimum* Reipub. *conſulum, ſiue ſtultitiam,*

*titiam, ſiue maliciam dicere oportet, ſiue utrumq;.* Terentius: *Vbi quæram, ubi inueſtigem, quem perconter, qua inſiſtam uia, incertus ſum.* Et Cicero: *Quid primum aut accuſem, aut querar iudices.*

*Expeditio eſt, cùm rationibus pluribus enumeratis, quibus aliqua res aut fieri, aut non fieri potuerit, cæteræ tolluntur, una relinquitur, quam nos intendimus, hoc modo: Neceſſe eſt, cùm conſtet iſtum noſtrum fundum fuiſſe, oſtendas te aut uacuum poſſediſſe, aut uſu tuum feciſſe, aut emiſſe, aut hæreditate tibi ueniſſe. Vacuum, cùm ego adeſſem, poßidere non potuiſti. Tuum uſu feciſſe, etiam nunc non potes. Emptio nulla profertur. Hæreditate tibi me uiuo, mea pecunia uenire non potuit. Relinquitur ergo, ut me ui de meo fundo deieceris. Hoc ornamenti genus plurimùm iuuabit coniecturales argumentationes, ubi nobis ipſa negotij natura dabit facultatem.* Ἀπόφασις.

*Aſyndeton, Cicero diſſolutum, Fabius diſſolutionem uocat, cùm oratio coniunctionibus caret, hoc modo: Gere morem parenti, pare cognatis, obſequere amicis, obtempera legibus. Cicero contra concionem Metelli: Qui indicabantur, eos uocari, cuſtodiri, ad ſenatum adduci iußit. Orationem hæc quoq; figura propter acrimoniam quam affert, pulcherrimè exornat: & uehementißima eſt, & ad breuitatem accommodata. Eſtq; contraria huic exornationi quam polyſyndeton, hoc eſt, coniunctionibus abundans uocant: ut, Tectumq;, Laremq;, Armaq;, Amyclæumq; canem, Creſſamq; pharetram.* Ἀσύντετον. Πολυσύνδετον.

*Præciſio, quæ à Cicerone reticentia, à Celſo obticentia uocatur, eſt cum dictis quibuſdam, reliquum quod cœptum eſt, dici relinquitur audientium iudicio, ſic: Tu iſta nunc audes dicere? qui nuper alienæ domui, non auſim dicere:* Ἀποσιώπησις.

ne,

*ne, cum te digna dixero, me indignum quippiam dixiſſe uidear. Cicero pro Milone. De noſtro enim omnium, non audeo totum dicere.*

Ἐπίλογος. *Concluſio eſt, quæ breui argumentatione ex ijs quæ ante dicta ſunt, aut facta, conficit id quod neceſſariò conſequatur, hoc modo: Quòd ſi Danais datum erat oraculum, non poſſe capi Troiam ſine Philoctetæ ſagittis: hæ autem nihil aliud fecerunt, niſi Alexandrum perculerunt: hunc extinguere, id nimirum capi fuit Troiam.*

Ὀνοματοποιΐα. *Nominatio, fictio nominis eſt, aut imitationis, aut ſignificationis cauſa profecta. Imitationis, hoc modo: Maiores rudere, & uagire, & mugire, & murmurare, & ſibilare appellauerunt. Significandæ rei cauſa ſic: Poſtquã iſte in Rempub. fecit impetum, fragor ciuitatis in primis eſt auditus. Vergilius: Clamorq́; uirûm, clangorq́; tubarum. Sed hac figura rarò eſt utendum, & uix oratoribus permiſſa, ne noui uerbi aſſiduitas odium pariat. uerùm ſi commodè quis ea utatur, non modò non offendet nouitate, ſed multo etiam magis illuſtrabit atque exornabit orationem.*

Ἀντονομασία. *Pronominatio eſt, quæ aliquid pro nomine proprio ponit. ut ſi quis loquatur de Gracchis, at non Africani nepotes, inquiet, iſtiuſmodi fuerunt. Et ſi quis de aduerſario dicat: Videte nunc iudices, quemadmodum me Plagioſippus iſte tractarit. Ita quoque cùm pro Paulo, Apoſtolum: pro Cicerone, eloquentiæ parentem: pro Vergilio, poëtam: pro Ariſtotele, philoſophum dicimus. Familiaris exornatio poëtis, oratoribus non item: eius nonnullus tamen uſus eſt.*

Μετωνυμία. *Denominatio, eſt nominis pro nomine poſitio: cùm aut inuentorem pro inuento, præſidem pro re cui præeſt ponimus:*

nimus: aut contrà: ut Chriſtum pro ſalute, Martem pro bello, Cererem pro frugibus, Liberum pro uino, Neptunum pro mari. Aut quod continet pro eo quod continetur: ut curiam pro ſenatu, campum pro comitijs. Aut ſignum pro re: ut, togam pro pace, arma ac tela pro bello. Aut id quod facit pro eo quod fit: ut frigus pigrum, quia pigros efficit.

Circuitio, eſt dictio rem ſimplicem aſſumptam circumſcribens elocutione, hoc pacto: Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit. Nam hic, niſi ornatus ratio quædam eſſet habita, Scipio potuit, & Carthago, ſimpliciter appellari. Περίφρασις.

Tranſgreſsio eſt, quæ uerborum perturbat ordinem peruerſione, aut traiectione. Peruerſione ſic: Hoc uobis Deos immortales arbitror dediſse uirtute pro ueſtra. Tranſiectione, hoc modo: Inſtabilis in iſtum plurimum fortuna ualuit: Omnes inuidioſè eripuit tibi benè uiuendi caſus facultates. Υπέρβατον.

Superlatio, dictio eſt ueritatem alicuius augendi minuendi'ue cauſa ſuperans. Hæc ſumitur ſeparatim, aut cum comparatione. Separatim ſic: Quòd ſi concordiam retinebimus in ciuitate, imperij magnitudinem, Solis ortu atq; occaſu metiemur. Cum comparatione: aut à ſimilitudine, aut à præſtantia ſuperlatio ſumitur. A' ſimilitudine, ſic: Corpore niueum candorem, aſpectu igneum ardorem aſſequebantur. A' præſtantia, hoc modo: Cuius ab ore ſermo melle dulcior profluebat. Ex eodem genere hoc eſt: Tantus erat in armis ſplendor, ut ſolis fulgor obſcurior uideretur. Υπερβολή.

Intellectio eſt, cùm intelligi uolumus aliquid, aut ex parte totum, ut pro ædificijs, cum parietes aut tecta dicimus: Συνεκδοχή.

*mus: aut ex toto partem, ut ſi quis ei qui ueſtem unam, aut uas, aut annulum ſumptuoſum oſtentet, dicat: Oſtentas mihi diuitias, & locupletes copias iactas. nam diuitias pro ueſte una, aut annulo dixit. Aut ex uno plura, hoc modo: Pœno fuit Hiſpanus auxilio: pro Pœnis, & Hiſpanis. Aut cùm ex pluribus intelligitur unum: ut, Atrox calamitas pectora mœrore pulſabat, itaque anhelans ex imis pulmonibus, præ cura ſpiritus ducebatur. nam hic unum pectus, & unus pulmo intelligitur.*

Κατάχρησις. *Abuſio eſt, quæ uerbo ſimili & propinquo pro certo & propio abutitur: ut cum uires hominis breues eſſe dicimus, longum in homine conſilium, aut aliquem uti pauco ſermone. Nam hîc facilè eſt intellectu, finitima uerba rerum diſsimilium, ratione abuſionis eſſe traducta.*

Μεταφορά. *Translatio eſt, cùm uerbum in quandam rem transfertur ex alia re per ſimilitudinem: ut cùm gemmare uites, ſitire agros, luxuriem eſſe in herbis, lætas eſſe ſegetes dicimus. Modi autem transferendi latiſsima patet ratio, quem neceſsitas genuit inopia coacta & anguſtijs, pòſt autem delectatio iucunditasq́; celebrauit. Eſt enim uerbi translatio inſtituta (ut Cicero ait) inopiæ cauſa, frequentata delectationis: Sic translationes, quæ non inopiam indicant, ſed orationi ſplendoris aliquid accerſunt, paulò audaciores uocat. Ea utimur rei ante oculos ponendæ cauſa, ſic: Hic Italiam tumultus terrore ſubitò expergefecit. Breuitatis cauſa ſic: Recens aduentus exercitus, ſubitò ciuitatem extinxit. Et illud in 3. de Orat. Si telum manu fugit: imprudentia teli emiſsi breuius proprijs uerbis exponi non potuit, quàm eſt uno ſignificata translato. Obſcœnitatis uitandæ cauſa, ſic: Cuius mater quotidianis nuptijs delectatur. Augendi cauſa ſic: nullius mœror & ca-*

*lamitas iſtius explere inimicitias, & nefariam ſaturare crudelitatem potuit.* Minuendi *cauſa ſic*: Magno *ſe prædicauit auxilio fuiſſe, quia paululum in rebus difficillimis aſpirauit.* Ornandi *cauſa ſic*: *Aliquando* Reip. *rationes, quæ malitia nocentum exaruerant, uirtute optimatum reuireſcunt.*

Permutatio, *ſiue ſententiæ inuerſio, dictio eſt aliud uerbis, aliud ſenſu ſignificans: ut, Soluite templum hoc. Ea fit aut per ſimilitudinem, aut per argumentum, aut per contrarium.* Per *ſimilitudinem ſumitur, cum translationes, una, aut plures frequenter ponuntur à ſimplici ratione ductæ, ſic*: Nam *cum canes fungantur officijs luporum, cui'nam præſidio pecuaria credemus?* Per *argumentum tractatur, cum à perſona, aut à loco, aut à re aliqua ſimilitudo augendi, aut minuendi cauſa ducitur: ut ſi quis* Druſum, Gracchum, Numitorem *obſoletum dicat.* Ex *contrario ducitur ſic*: Vt *ſi quis hominem prodigum & luxurioſum illudens, parcum & diligentem appellet.* Species *autem allegoriæ à* Rhetoribus *enumerantur octo*: αἴνιγμα, παροιμία, εἰρωνεία, σαρκασμός, ἀστεισμός, μυκτηρισμός, ἀντίφρασις, καὶ χαριεντισμός: *quibus à nonnullis additur* ὑπερβολή, *de qua dixi ſuprà.* — Ἀλληγορία.

*

i DE

## DE ORNAMENTIS ſententiarum.

| | | |
|---|---|---|
| *Sunt autem ornamenta ſententiarum.* | *Diſtributio* | *Exemplum* |
| | *Licentia* | *Imago* |
| | *Diminutio* | *Effictio* |
| | *Deſcriptio* | *Notatio* |
| | *Diuiſio* | *Sermocinatio* |
| | *Frequentatio* | *Conformatio* |
| | *Expolitio* | *Significatio* |
| | *Commoratio* | *Breuitas* |
| | *Contentio* | *Demonſtratio.* |
| | *Similitudo* | |

Μεϱισμὸς. *Diſtributio eſt, cùm in plures res, aut perſonas certas negotia quædam diſpertiuntur, hoc modo: Senatus officium eſt, conſilio ciuitatem iuuare: Magiſtratus officium eſt, opera & diligentia conſequi uoluntatem ſenatus: Populi officium eſt, res optimas, & homines idoneos maximè ſuis ſententijs eligere, & probare Cicero pro L. Muræna: Hic uerò iudices & fuit in Aſia, & uiro fortiſſimo parenti ſuo magno adiumento in periculis, ſolatio in laboribus, gratulationi in uictoria fuit. Talis quoque eſt pro P. Seſtio: Hæc ego cùm uiderem, Senatum, ſine quo ciuitas ſtare non poſſet, omnino de ciuitate eſſe ſublatum: cõſules, qui publici conſilij duces eſſe deberent, perfeciſſe, ut per ipſos publicum conſilium funditus tolleretur: eos, qui plurimum poſſent, opponi omnibus concionibus falsò, ſed formidolosè tamen, autores ad perniciem meam: conciones haberi quotidie contra me, uocem pro me, ac Republic. neminem mittere: intenta ſigna legionum exiſtima*

*ſtimari ceruicibus ac bonis ueſtris falsò, ſed putari tamen, &c.*

*Licentia eſt, cùm apud eos, quos aut uereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure noſtro dicimus, quod eos minime offendat: aut quos hi diligunt, cùm in aliquo errato uerè reprehendi poſſe uideantur, hoc modo: Aliquid quotidie acerbi & incommodi nuntiatur, & eum cuius opera nobis hæc accidunt remoramini diutius, ac alitis, ac* Reipub. *perniciem retinetis, quoad poteſtis ciuitate.* Eiuſmodi *licentia, ſi nimium uidebitur acrimoniæ habere, multis mitigationibus lenietur. nam continuò aliquid huiuſmodi licebit inferre:* Hîc *ego uirtutem ueſtram quærò, ſapientiam deſidero, ueterem conſuetudinem requiro, ut quod erat commotum licentia, id laude mitigetur: ut altera res ab iracundia & moleſtia remoueat, altera res ab errato deterreat.* Παῤῥησία.

Diminutio *eſt, cùm aliquid eſſe in nobis, aut in ijs quos defendimus, aut natura, aut fortuna, aut induſtria, dicemus egregium: quod, ne qua ſignificetur arrogans oſtentatio, diminuitur & attenuatur oratione, hoc modo:* Nam *hoc pro meo iure iudices dico, me labore & induſtria curaſſe, ut diſciplinam militarem non in poſtremis tenerem.* Hîc *ſi quis dixiſſet, ut optimè tenerem, tametſi uerè dixiſſet, tamen arrogans uiſus.* Nunc *& ad inuidiam uitandam, & ad laudem comparandam, ſatis dictum eſt.* Cicero *in* Verrem: Non *enim furem, ſed raptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumq́; : non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium ſociorumq́; in ueſtrum iudicium adducimus.* Ταπείνωσις ſeu μείωσις.

Deſcriptio *nominatur, quæ rerum conſequentium con-* Διατύπωσις.

*tinet perſpicuam, & dilucidam cum grauitate expoſitionem, hoc modo:* Nam neminem ueſtrûm fugit Quirites, *capta urbe, quæ miſeriæ conſequi ſoleant: arma qui contrà tulerint ſtatim crudeliſsimè trucidantur: cæteri, qui poſſunt per ætatem & uires laborem ferre, rapiuntur in ſeruitutem: qui non poſſunt, uita priuantur: uno denique atque eodem tempore domus hoſtili flagrat incendio, & quos natura aut uoluntas neceſsitudine aut beneuolentia coniunxerit, diſtrahuntur. Liberi partim è gremijs parentum diripiũtur, partim in ſinu iugulantur, partim ante pedes conſtuprantur.* Nemo iudices eſt, *qui poſsit ſatis rem conſequi uerbis, nec referre oratione magnitudinem calamitatis.* Quo *genere ornamenti, uel indignatio, uel miſericordia poteſt commoueri, cùm res conſequentes comprehenſæ uniuerſæ perſpicua breuiter exprimuntur oratione.*

Διάλυσις. Diuiſio *eſt, quæ rem ſemouens à re, utranque abſoluit ratione ſubiecta, hoc modo:* Cur *ego nunc tibi quicquam obijciam? Si probus es, non meruiſti: ſin improbus, non commoueris.* Et *illud:* Quid *nunc ego de meis proprijs meritis prædicem? Si meminiſtis, obtundam: ſin obliti eſtis, cùm re nihil egerim, quid eſt quod uerbis proficere poſsim?*

Συναθροισμός. Frequentatio *eſt, cùm res in tota cauſa diſperſæ coguntur unum in locum, quo grauior, aut acrior, aut criminoſior oratio ſit, hoc pacto:* À *quo tandem abeſt iſte uitio? quid eſt* Iudices, *cur uelitis eum liberare? ſuæ pudicitiæ proditor eſt, inſidiator alienæ, cupidus, intemperans, petulans, ſuperbus, impius in parentes, ingratus in amicos, infeſtus in cognatos, in ſuperiores contumax, in æquos & pares faſtidioſus, in inferiores crudelis, denique in omnes*

*intolerabilis.*

*Expolitio eſt, cùm in eodem loco manemus, & aliud atque aliud dicere uidemur. Ergo huiuſmodi uehementer ornata poterit eſſe expolitio, quæ conſtabit ex frequentibus uerborum exornationibus, & ſententiarum, hoc pacto: Itaq; uti contemnendus eſt, qui in nauigando ſe, quàm nauim, mauult incolumen: ita uituperandus, qui in Reip. diſcrimine, ſuæ plus quàm communi ſaluti conſulit. Naue enim fracta, multi incolumes euaſerunt: ex naufragio patriæ ſaluus nemo poteſt enatare. Quòd mihi bene uidetur Decius intellexiſſe, qui ſe deuouiſſe dicitur, & pro legionibus in hoſtes miſiſſe medios: unde amiſit uitam, at non perdidit: re enim uiliſſima & parua, maximam redemit: dedit uitam, accepit patriam: amiſit animam, potitus eſt gloria: quæ cum ſumma laude prodita, uetuſtate quotidie magis eniteſcit.* Ἐξεργασία.

*Commoratio eſt, cùm in loco firmiſſimo, quo tota cauſa continetur, manetur diutius, & eòdem ſæpius reditur. hac uti maximè conuenit: & id eſt oratoris boni maximè proprium. Non enim datur auditori poteſtas, animum de re firmiſſima dimouendi. Huic exemplum ſatis idoneum ſubijci non potuit: propterea quòd hic locus non eſt à tota cauſa ſeparatus, ſicut membrum aliquod, ſed tanquam ſanguis profuſus eſt per totum corpus orationis.* Ἐπιμονή.

*Contentio eſt, per quam contraria ex comparatione referuntur, hoc modo: Vos huius incommodis lugetis, iſte Reipub. calamitate lætatur: Vos ueſtris fortunis diffiditis, iſte ſolus ſuis eo magis confidit. Et illud Ciceronis in Catil. Honeſtè uiuere cum non poſſint, perire turpiter malunt. Pro Muræna: Odit populus Rom. priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.* Ἀντίθετον.

Ὁμοίωσις ſeu παραβολή. Similitudo, eſt oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile, hoc modo: Neq; equus indomitus, quamuis natura bene compoſitus ſit, idoneus poteſt eſſe ad eas utilitates, & aptus, quæ deſiderantur ab equo: neq; homo indoctus, quamuis ſit ingenioſus, ad uirtutem poteſt peruenire. Et illud: Vt hirundines æſtiuo tempore præſtò ſunt, frigore pulſæ recedunt: ita falſi amici ſereno uitæ tempore præſtò ſunt, ſimul atq; hyemem fortunæ uiderint, deuolant omnes.

Παράδειγμα. Exemplum eſt, alicuius facti aut dicti præteriti, cùm certi autoris nomine propoſitio. Rem autem ornatiorem facit, cum nullius rei, niſi dignitatis cauſa ſumitur. Apertiorem, cùm id quod ſit obſcurius, magis dilucidum reddit: probabiliorem, cùm magis ueriſimilem facit.

Εἰκών. Imago eſt, formæ cum forma, cum quadam ſimilitudine collatio. hæc ſumitur aut laudis, aut uituperationis cauſa. Laudis cauſa ſic: Ibant in prælium corpore tauri ualidiſſimi, impetu leonis acerrimi ſimiles. Vituperationis: ut, Iſte quotidie per forum medium, tanquam iubatus draco ſerpit, aſpectu rapido circunſpectans huc & illuc, ſi quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere, dentibus inſecare, lingua aſpergere poſſit.

Χαρακτηρισμός. Effictio eſt, cùm exprimitur, & effingitur uerbis, corporis cuiuſpiam forma, quoad ſatis ſit ad intelligendum, hoc modo: Hunc dico iudices rubrum, breuem, incuruum, canum, ſubcriſpum, cæſium, cui ſanè magna eſt in mento cicatrix, ſi quo modo poteſt uobis in memoriam redire. Habet hoc ornamentum cùm utilitatem, ſi quem uelis oſtendere: tum uenuſtatem, ſi breuiter & dilucidè facta eſt.

Μίμησις. Notatio eſt, cùm alicuius natura certis deſcribitur ſignis,

*gnis, quæ ſicuti notæ quædam naturæ ſunt attributa: aut inuidi, aut timidi, aut auari, ambitioſi, amatoris, luxurioſi, furis, quadruplatoris: denique cuiuſuis ſtudium protrahi poteſt in medium tali notatione.* Talis quoq; eſt Ciceronis *in oratione ad Quirites: Non te illius unguentorum odor, non uini anhelitus, non frons calamiſtri notata ueſtigijs, in eam cognitionem adducebat?* Et pro P. Seſtio: *Præter eos, qui ab illo peſtifero ac perdito ciue iampridem Reip. ſanguine ſaginantur.*

*Sermocinatio eſt, cùm alicui perſonæ ſermo attribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis. Cicero pro* Q. Roſcio: *Quamobrem, cùm cætera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio amplius, quòd erat in primis magnum, in aduerſarijs relinquebas? nolebas ſciri, debere tibi* Roſcium. *cur ſcribebas? rogatus eras, ne referres. Cur in aduerſarijs ſcriptum habebas?* In Piſonem: *Quis unquam recitauit? quis ut recitarentur, poſtulauit? nihil enim mea refert, uerùm tu conſcientia oppreſſus ſcelerum tuorum, nihil unquam auſus ſis ſcribere ad eum ordinem quem deſpexeras, quem afflixeras, quem deleueras: an amici tui tabulas abdiderint, ijdemq; ſilentio ſuo temeritatem atq; audaciam tuam condemnarint.* Διαλογισμός.

*Conformatio, perſonæ fictio, eſt, cùm aliqua quæ non adeſt perſona confingitur, quaſi adſit: aut cùm res muta, aut informis, fit eloquens, & formata, & ei ratio attribuitur, ad dignitatem accommodata, aut actio quædam, hoc pacto: Quòd ſi nunc Lucius ille* Brutus *reuiuiſcat, & hic ante pedes ueſtros adſit, non hac utetur oratione?* Ego *reges eieci, uos tyrannos introducitis: ego libertatem, quæ non erat peperi, uos partam ſeruare non uultis: ego capitis mei periculo patriam liberaui, uos liberi ſine peri-* Προσωποποιΐα.

culo eſſe non curatis.

Εμφασις. Significatio eſt, quæ plus in ſuſpicione relinquit, quàm poſitum eſt in oratione. ea fit per exuperationem, ambiguum, conſequentiam, abſciſionem, ſimilitudinem. Per exuperationem, cùm plus dictum eſt, quàm patitur ueritas augendæ ſuſpicionis cauſa, ſic: Hic de tanto patrimonio tam citò teſtam, qua ſibi petat ignem, non reliquit. Per ambiguum, cùm uerbum poteſt in duas, pluréſue ſentias accipi, ſed accipitur in eam partem, quam uult is qui dixit. ut de eo ſi dicas, qui multas hæreditates adierit: Proſpice tu, qui plurimum cernis. Per conſequentiam, cùm res quæ ſequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in ſuſpicione: ut ſi ſalſamentarij filio dicas, Quieſce tu, cuius pater cubito ſe emungere ſolebat. Per abſciſionem, ſi cum incipimus aliquid dicere, præcidimus: & ex eo quòd iam diximus, ſatis relinquitur ſuſpicionis, ſic: Qui iſta forma & ætate nuper alienæ domui, nolo plura dicere. Per ſimilitudinem, cùm aliqua re ſimili allata, nihil amplius dicimus, ſed ex ea ſignificamus, quid ſentiamus, hoc modo: Noli Saturnine nimium populi frequentia fretus eſſe, ſtultitiam noſce Gracchi.

Βραχυλογία. Breuitas eſt, res ipſis tantummodo uerbis neceſſarijs expedita, hoc modo: Lemnum præteriens cæpit, inde Tharſi præſidium reliquit, pòſt urbem in Bithynia ſuſtulit, inde pulſus in Helleſpontum ſtatim potitur Abydo. Et illud: Modò conſul, quondam tribunus, is deinde primus erat ciuitatis.

Ενέργεια ſeu ἐπίδειξις. Demonſtratio eſt, cùm ita res uerbis exprimitur, ut geri negocium, & res ante oculos eſſe uideatur. Id fieri poterit, ſi quæ antè & pòſt, & in ipſa re facta erunt, comprehendemus: aut à rebus conſequentibus, aut à circunſtantib

*ſtantibus non recedemus, hoc modo: Iſte interea ſcelere, & malis cogitationibus redundans, euolat ex templo Iouis, & ſudans, oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga, cum pluribus alijs ire celerius cœpit.*

## DE TRIBVS GENEbus dicendi.

*Commonſtratis de ornatu præceptis, reliquæ muneris ac inſtituti noſtri partes erunt, ut in quibus omnis oratoria elocutio debeat eſſe generibus dicamus: eſſe enim diuerſa dicendi genera, quæ Græci* χαρακτῆρας, *nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non uitioſa conſumitur, neminem arbitror ne mediocriter quidem doctum fugit, cum tot artium ſcriptores, & Grecos, & Latinos, quos priora ſecula tulerunt, ſtylum dicendiq́; genus orationis plerunq́; diſpar atq́; diſsimile ſecutos uidemus.*

*Sunt autem dicendi genera tria potiſsimum animaduerſa,*
- *Grande.*
- *Tenue.*
- *Mediocre.*

*Grande, illuſtre, uehemens, & plenum dicendi genus, diuino quodam genere orationis, atque incredibili, cauſis grauioribus adhibetur: habet enim cum ampla maieſtate ornatiſsima, uerba, propria, tranſlata, extranea, ita tamen ut ad unamquanq́; rem accommodata ſint: & graues ſententias, quæ in amplificatione & commiſeratione tractantur: & exornationes cùm uerborum, tum ſententiarum, quibus maximam uim in orationibus tribuunt ac*

*grauitatem. Sunt autem qui hoc genere utuntur, uehementes, uarij, copioſi, graues, ad permouendos & conuertendos animos inſtructi & parati. Vſus eo eſt Cicero in oratione pro* A. *Cluentio, pro Sylla, pro* T. *Annio Milone, pro* C. *Rabirio, in Catilinam, in Verrem, in Piſonem. Sed huius imperiti ſæpe in uitia incidunt, cùm grauis oratio uidetur illis ea, quæ turget & inflata eſt: quæ nouis, aut duriter aliunde translatis, aut priſcis, & ab uſu quotidiani ſermonis iam diu intermiſſis, aut grauioribus quàm res poſtulat, uerbis utitur hoc modo: Nam qui perduellionibus uenditat patriam, non ſatis ſupplicij dederit, ſi præceps in Neptunias depultus erit lacunas.*

Tenue dicendi genus.

*Tenue genus dicendi, ſubtili quadam & preſſa atque limata oratione fertur, cauſis paulo acutioribus, quàm in uſu uulgari ſermonis uerſantur, accommodatum. Eſt enim genus orationis demiſſum, uſq; ad uſitatiſſimam puri dilucidiq; conſuetudinem ſermonis: habet ſententias tenues, ſubtiles, acutas, omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora facientes. in eodemq; genere (ut in* Oratore *ait) alij callidi ſunt, ſed impoliti, & conſulto rudium ſimiles, & imperitorum: alij in eadem ieiunitate concinniores, id eſt faceti, florentes etiam, & leuiter ornati. Vſus eo Cicero in philoſophicis diſputationibus, in oratione pro Quintio, pro Roſcio Comœdo, & Terentius & Plautus in ſuis Comœdijs. Errant, qui non poſſunt in illa facetiſſima uerborum attenuatione commodè uerſari, & ueniunt ad aridum & exangue genus orationis, quod non alienum eſt exile nominari, cuiuſmodi eſt hoc: Nam iſtic ad balneas acceſſit. ad hunc poſtea dixit, Hic tuus ſeruus me pulſauit. poſtea dixit hic illi, Conſiderabo pòſt ille conuicium fecit, & magis magisq; præſentibus clamauit.*

Mediocre

*Mediocre & temperatũ dicendi genus,ex humiliore, neq; tamen ex infima & peruulgatiſſima uerborum & ſententiarum dignitate conſtat. Eſtq; rectè dictum genus ſermonis temperatum, quòd admodum uicinum ſit & tenui & grandi: atq; ita ut in neutro excellat, ſed utriuſque ſit particeps, uel potius expers,cùm neq; hoc, neque illud habeat, ſed interiectam moderationem perſequatur atque temperiem.Idq; uno tenore,ut aiunt,in dicendo fluit, nihil præter facultatem afferens & æqualitatem,omnemq; orationem ornamentis modicis cùm uerborum,tum ſententiarum diſtinguens. Vtitur eo Cicero in oratione pro Lege Manilia, pro A.Cecinna pro M.Marcello,maximeq; in libris Officiorum.In hoc uitioſum eſt,peruenire ad confine genus eius,quod fluctuans & diſſolutum appellant,eo quòd ſine neruis, & articulis fluctuet huc & illuc, nec poßit confirmare, nec uiriliter ſeſe expedire. id eſt huiuſmodi: Socij noſtri cùm belligerare nobiſcum uellent,profectò ratiocinati eſſent etiam atq; etiam quid poſſent facere, ſiquidem ſua ſponte facerent, & non haberent hîc adiutores multos & malos homines & audaces. ſolent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia uolunt agere. Non poteſt huiuſmodi ſermo tenere attentum auditorem. diffluit enim totus, neque quicquam comprehendens perfectis uerbis amplectitur.* Mediocre dicendi genus.

DEO SIT GLORIA.

FINIS.

# RERVM IN HISCE PARTItitionibus præcipuè memorabilium Capita.


LIBRI PRIMI.

Quid ſit Rhetorica pag. 11
Quid diſcriminis ſit inter rhetoricen & dialecticen ibidem
Quid rhetor, ſophiſtes, orator, & quod eorum officium 12
Materia oratoris quæ ſit. 12
De quæſtione ibid.
De infinita quæſtione 14
De finita quæſtione 15
Lex quædam de quæſtionibus ibid.
De cauſis 16
Quas res ſibi proponat in iſtis tribus generibus orator 17
De partibus Rhetoricæ 18
Quibus rhetorica conſumetur ibid.
De inuentione cauſæ iudicialis 19
De exordijs 20
Quando rectè exordiri poſſimus ibid.
De quatuor cauſarum qualitatibus, & ab his ratione exordiendi ibid.
De locis principiorum 22
Quomodo attentos, dociles, ac beneuolos auditores comparare poſſimus ibid.
Beneuolentia ex quibus locis comparetur 23
De inſinuatione 24
Tria inſinuationis tempora ibid.
Inter inſinuationẽ & principium quid interſit 25
De modis exordij 26
De uitijs exordij 27
De narratione 28
Narrationis uirtutes 29
An ubiq;, & quando narrandum 30
Narratione quando utamur 31
Quãdo narratio obſit ibid.
Quando narratio nihil proſit 32


De

De partitione ibid.
De confirmatione 33
Quid ſit ſtatus 35
Status unde naſcatur ibid.
De iudicatione ibid.
De numero ſtatuum 37

LIBRI II.

De cauſa coniecturali 38
Narratio in cõiectura qualis eſſe debeat ibid.
De probabili 39
De cauſis 40
Quid in cauſis quæratur ibid.
De perſonis 41
De collatione 42
De ſigno 43
De argumento 44
De conſecutione 45
De approbatione ibid.
De teſtibus 46
De quæſtionibus 47
De argumentis ibid.
De rumoribus 48
De legitima conſtitutione ibid.
De ſcripto & ſententia 49
De tractatione ſcripti 50
De tractatione ſententiæ 51
De contrarijs legibus ibid.
De tractatione contrariarum legum 52
De ambiguo 53
De tractatione ambigui ibid.
De definitione 54
De tractatione definitionis ibid.
De translatione 55
De tractatione translationis ibid.
De ratiocinatione 56
De tractatione raciocinationis ibid.
De conſtitutione iuridiciali 57
De iuridiciali abſoluta ibid.
De tractatione iuridicialis abſolutæ 58
De iuridiciali aſſumptiua 59
De conceßione ibid.
De tractatione neceßitatis 60
De tractatione fortunæ 61
De tractatione ignorantiæ ibid.
Loci communes ibid.
De tractatione deprecationis 62
Loci communes ibid.
De remotione criminis 63

De

De tractatione remotionis ibid.
De translatione 64
De tractatione translationis ibid.
Loci communes 65
De comparatione ibid.
De tractatione comparationis 66
Loci communes ibid.
De argumentatione abſoluta 67
An ea argumẽtatione ſemper uti ſoleant 69
Tria argumentationum genera ibid.
De argumentatione uitioſa ibid.
De uitioſa propoſitione 70
De uitioſa ratione 71
De uitioſa confirmatione rationis 72
De uitioſa exornatione 77
De uitioſa complexione 78
De confutatione ibid.
Modi confutationis 79
De peroratione 82
De enumeratione ibid.
De amplificatione ibid.
De commiſeratione 84

LIBRI III.

De inuentione cauſæ deliberatiuæ 85
Tractatio deliberationũ 87
De fine conſultationum, & qua uia eum tractari conueniat ibid.
De utilitate tuta 88
De honeſta utilitate 89
De recto ibid.
De prudentia ibid.
De iuſtitia 90
De fortitudine 91
De temperantia 92
De laudabili ibid.
De orationis partibus 93
Narratio ibid.
Partitio 94
Confirmatio ibid.
Confutatio 96
Concluſio ibid.
De inuentione cauſæ demonſtratiuæ ibid.
De tractatione laudationis 97
De tractatione uituperationis ibid.
De orationis partibus 98
Exordium ibid.
Narratio 99

*Partitio* 100
*Confirmatio* ibid.
*Confutatio* 102
*Peroratio* ibid.
De *diſpoſitione* ibid.
*Quando naturalis ordo mutetur* 103
De *memoria* 104
De *memoria artificioſa* 106
De *pronunciatione* 107
De *moderatione uocis* 108
De *firmitudine uocis* 109
De *mollitudine uocis* 110
*Quæ cuiuſq; partis idonea pronunciatio ſit* 111
De *motu corporis* 112

LIBRI IIII.

De *elocutione* 113
De Latino & *perſpicuo ſermone* 114
De *compoſitione* 115
De *dignitate* ibid.
De *ornamentis uerborum* 116
De *ornamentis ſententiarum* 130
De *tribus dicendi generibus* 137

FINIS.

# RERVM AC VERBORVM
*hoc libro memorabilium,*
Index.


A

ABuſio 128
Abſoluta conſtitutio 57. eius partes 58
Accuſatoris præcepta in cauſis 41. in perſonis ibid. collatione 42 conſecutione 45 approbatione ibid.
Aceruatis ſyllogiſmus 122 σωρείτης ibid.
Actio 107
Actio in moderationem uocis & corporis partitur 108
Adiunctio 123
Admirabile cauſarum genus 22
αἴνιγμα 129
Aequi & bonis ius 58
αἰτία 36
Affectus 102
Agamemnon 33
Aiax Apollinis oraculum exponit 75
Αλληγορία 129
Ambigui controuerſia 53
eius tractatio ibid.
Amplificatio quid 82.100. 110. eius partes ibid.
Amplificatio propria generis demonſtratiui 100
Amplificationis decem loci 83
Amplificationis uſus 100
Αναδίπλωσις 123
ἀνακεφαλαίωσις 82.102
Anceps cauſarum genus 21
Annominatio 21
Ανθυποφορὰ καὶ ἀντεισαγωγὴ ibid.
ἀντίληψις 57
Αντιμεταβολὴ 124
Αντίφρασις 129
Αντιστροφὴ 117
Αντίθεσις 119
Αντίθετον 118.133
Αντονομασία 126
Απόφασις 36.125
Απορία 124
Αποσιώπησις 125
Apoſtrophe in narratione potiſsimum uitanda 31
Apparatum uitium exor-


k dior

diorum 27

Approbatio quid 45

Approbationis loci communes, item proprij 46

Argumentatio abſoluta quæ 67. item uitioſa 69

Argumentationis abſolutæ exemplum 67 inde

Argumentatione abſoluta an ſemper neceſſe ſit uti 69

Argumentationum tria genera ibid.

Argumentationum uitioſarum genera 70

Argumentum 28. 44

Argumenti tria tẽpora 44

contra Argumenta quomodo dicatur 48

ab Argumentis quomodo dicatur 47

Ars quid 18

Ars certior dux quàm natura 105

Ars naturæ bona confirmat & auget ibid.

Ars quibus conſtet 18

Articulus 120

Aſſumptiua conſtitutio, & eius partes 59

ἀςεισμός 129

Ἀσύντετον 125

ἄτεχνοι loci 46

Attentio quomodo comparetur 23

αὔξησις 82

B

Barbariſmus 115

Beneuolentia ex quibus locis comparetur 23

Beneuoli auditores quomodo fiant 22

Bonorum tria genera 97. 100. à bonis qui loci ſumantur 97. 100 inde

βραχυλογία 136

Breuiſſimum argumentationis genus quale 69

Breuitas 136

C

Caius Gracchus 35

C. Pompeius 65

κατάχρησις 128

κατάφασις 36

Cauſa, ὑπόθεσις 13

Cauſa ad propoſitum reuocanda 15

Cauſa coniecturalis 36

Cauſa in oratore 16

Cauſa iudicialis 19

deliberatiua 85

demonſtratiua 96

Cauſa poſita quid conſiderandum 20
Cauſæ in probabili definitio 39
Cauſarum genera quatuor 21 quinque ibid.
Cauſarum tria genera 15. 16 in his oratori quæ conſideranda 17
Cauſarum tres loci 34
à Cauſis coniecturæ quæ ſumantur 40
in Cauſis quid quæri conueniat ibid.
κεφάλαιον γενικώτατον 35
χαρακτῆρας Latini figuras 137
χαρακτηρισμός 134
χαριεντισμός 130
Cicero, eiusq; libri de Inuent. cuiuſmodi 37
Cicero optimus dicendi magiſter 103.105
Ciceronis de Statibus ſententia 37
Circuitio 127
Ciuile genus narrationis quale 28
Clytemneſtra 33
κλίμαξ 122
Cohortatio quid 110.111
inde
Collatio, & eius tractatio 42
Κῶλον 120
Commiſeratio quid 84
Commiſeratione quomodo commoueatur auditoris animus ibid.
Commoratio 133
Commune uitium exordiorum 25
Communicatio 124
Commutabile uitium exordiorum 27
Commutatio 124
Compar 120
Comparatio 65
Cõparationis tractatio 66
eiuſdem loci communes ibidem
Complexio 37.117
quid 67.68
Complexio uitioſa quæ 82
Cõpoſitio quid 115. qua ratione conſeruanda ibid.
Conceßio 59
eius partes 60
Conceßionis partium loci communes 61
Concludendi modi quatuor 79

*Concluſio* 126
*Concluſio duplex quæ* 73
*eius ratio cõfutandi ibid.*
*Concluſio in genere deliberatiuo qualis eſſe debeat* 96
*Confirmatio quid* 19.33.94.100
*Confirmatio rationis uitioſa quæ* 72
*Confirmationis in genere deliberatiuo loci* 94.95
*item in genere demonſtratiuo* 101
*& iudiciali* 34
*Confirmationis uſus ibid.*
*in Confirmatione rationis quæ potiß. cauenda* 74 *inde*
*Conflictio intenſionis & depulſionis* 36
*Conformatio* 135
*Confutatio* 19.78
*Confutatio generis deliberatiui* 96
*Confutationis & confirmationis eadem ratio* 78
*Confutationis quatuor modi* 79 *inde.eius uſus* 78
*Confutatione ferè demonſtratio caret* 102
*eius præcepta ibid.*
*Coniectura* 38
*Coniecturæ à cauſis quæ ſumantur* 40
*item à perſonis* 39.41
*Coniecturam quæ efficiant* 44
*Coniecturalis conſtitutio* 38
*eius partes* 39
*Coniunctio* 123
*Conqueſtio* 110.111 *inde*
*Conſecutio* 34
*Conſtitutio quid* 35
*Conſtitutiones quot* 37
*Conſuetudinis ius* 90
*Conſultatio,*θέσις 13
*Conſultationum finis, & tractatio* 87
*Contentio figura* 110.118 133
*Contentio,quæ ex ſtatu efficitur quid* 35
*Contentionis nomine quid Cicero comprehendat* 33
*Contentionis partes* 110
*Continuatio* 110.120
*Contra præcepta uitium exordiorum* 27
*Contrarium* 119
*Contrariarum legum tractatio* 52

de Contrarijs legibus quatuor regulæ ibid.
Controuerſia 4
Controuerſia ex contrarijs legibus 51
ratiocinatione 56
ex ſcripto & ſentẽtia 49
ex translatione 55
ex ambiguo 53
ex definitione 54
Conuerſio 117
Cornutus ſyllogiſmus, δίλημμα 73
Corporis motus 112
eius decorum 112
Correctio 122
Craſſus 13.19
κρινόμενον Latini iudicationem 35
Critias 105

D

Defenſoris præcepta in cauſis 41 in perſonis 42
in collatione ibid.
in conſecutione 45
in approbatione 46
Definitio 34.122
Definitionis tractatio 54
eius controuerſia ibid.
Definitiua conſtitutio quæ 38
Deliberatio 85
Deliberationum duæ diuiſiones 86
& tractatio 87
Deliberatiuum genus, & eius tempus 16
finis 17.87
Demonſtratio 136
in oratore quid 110. inde
Demonſtratiuum genus, eiusq; tempus 16
finis 17 ratio 96
Demonſtratiui generis partes, & uſus ibid.
Demonſthenis iudicium de pronuntiatione 107
Denominatio 126
Deprecatio 35 60 apud quos potiſſ. ualeat ibid.
Deprecationis tractatio 62
lociq; communes ibid.
Depulſio 35 inde
Deſcriptio 131
Διάζευγμα 123
Διαλογισμὸς 135
Διάλυσις 132
Διάλυτον 120
Διατύπωσις 131
δικανικὸν genus 10
δικαιολογικὸς Latinis iuridicialis 57

Dicendi ratio oratorum propria 11
Dicendi tria genera 137
Dignitas, eiusq; diuiſio 116. 117
Dignitas in oratore 110
Digreſſorium genus narrationis 28
δίλημμα, cornutus ſyllogiſmus 73
Diminutio 131
Diſiunctio 123
Diſpoſitio 18.102
Diſpoſitio naturalis quando mutetur 103
Diſpoſitionis ratio duplex 103. eius uſus 102
Diſputando ratio dialecticorum propria 11
Diſſolutio, diſſolutum 125
Diſſuaſori quæ ſint uidenda 87
Diſtributio 110.111.130
Diſtributio partitionis quæ 33. eius partes ibid.
Diuiſio 32.132
Docilitas quomodo paretur 22
Dolus 88
Dubitatio 124
Dubium genus cauſæ 21

E

Effictio 134
ἐγκωμιαστικὸν cauſarum genus quale 16
Εικὼν 134
εἰρωνεία 129
Elocutio 18.124
Elocutio duplex 113
Elocutio partium omnium pulcherrima ibid.
Elocutio quas res in ſe habere debeat 114
Elocutionis bipertita præceptio 114
Elocutionis uſus 113
Eloquentia in quibus uerſetur 12.13
Eloquentiæ definitio 111
Eloqui ornatè paucis conceſſum ibid.
ἔμφασις 136
ἐνέργεια ſeu ἐπίδειξις ibid.
Enumeratio quid 82
Enumeratio breuis omnium quæ hoc libro dicuntur 85
Enumeratio falſa quæ 70
Enumerationis uſus 33
ἐπανάληψις 123
ἐπαναφορά 117
ἐπάνοδος ibid.

ἐπαν

ἐπανόρθωσις 122
ἔφοδος 20
ἐπιδεικτικὸν genus 16.96
ἐπίδειξις 136
ἐπίλογοι 82
ἐπίλογος 126
ἐπιμονὴ 133
ἐπιφώνησις 118
ἐρώτημα ibid.
ἐρώτησις ibid.
Exclamatio ibid.
Excuſatio 60
Exemplum 134
Exemplum uitioſum 67
Exercitatio quid 19
Exercitatio domeſtica ibid.
ἐξεργασία 133
Exordium quid 19
eiusq; ratio 26
Exordium generis demonſtratiui unde ducatur 98
Exordium quale in deliberationibus eſſe debeat 93
Exordij in deliberationibus præcipuus locus ibid.
Exordij modus opt. quis 26
Exordij quæ uitia 27
in Exordienda cauſa ſeruanda quæ 26
Exordiorum duo genera 20
Exordiri quando rectè poſſimus ibid.
Exornatio 16. 67. 68
Exornatio uerborum & ſententiarum 116
Exornatio uitioſa quæ 77
ex quibus conſtet ibid.
Expeditio 125
Expolitio 133
Expoſitio quid 33

F

Fabula quid 28
Fidentia 91
Firmamentum 36
Firmitudo uocis unde fiat 109. inde
Fortitudo, eiusq; partes 91 92
Fortitudinis partium uſus ibidem
Fortunæ tractatio 61
Fregellæ 118. 123
Frequentatio 132

G

Γνώμη 119
Gradatio 122
Grande dicendi genus 137
in Grandi dicendi genere quæ uitia potißimum uitanda 137
Græcorum fides 46

*Græcorum teſtium apud Ciceronē impeditio ibid.*

H

*Hermogenes* 37
*Hiſtoria quid* 28
Ὁμοίωσις 134
Ὁμοιόπτωτον 121
Ὁμοιοτέλευτον ibid.
*Honeſta utilitas, & eius diuiſio* 89
*Honeſtæ rationis uſus, & loci* 95
*Honeſtum cauſæ genus* 21
Ὁρισμός 122
*Humile genus cauſæ* 21
Ὑπέρβατον 127
Ὑπερβολή 127.129
Ὑπόζευγμα 123
Ὑπόθεσις, *Latinis cauſa* 15

I

*Ignorantia* 60
*Ignorantiæ tractatio* 61
*Imago figura* 13
*Imagines in memoria quid* 106
*Imitatio quid* 18
*Impulſio* 40
*Inficiatio* 35
*Inſimulatio* ibid.
*Inſinuatio* 24
*Inſinuationis & principij diſcrimen* 25
*Inſinuationis tria tempora* 24. *& uſus* ibid.
*Intellectio* 127
*Intelligentia* 29
*Intentio* 35. inde
*Interpretatio* 124
*Interrogatio* 118
*Inuenire & collocare omnibus conceſſum* 113
*Inuentio quid* 18
*Inuentio cauſæ deliberatiuæ* 85
*demonſtratiuæ* 96
*iudicialis* 19
*Inuentio in quot partes diſtribuatur* ibid.
*Iocatio quid* 110.111.112
ἰσόκωλον 120
*Iudicata res uitioſa quæ* 77
*Iudicatio* 35
*ex quibus emergat* 36
*Iudicatum quid* 58
*Iudiciale genus, eiusq́; tempus* 16
*finis* 17
*Iuridicialis conſtitutio quæ* 57
*Iuridicialis abſoluta Græcis* ἀντίληψις 57

*Iurid*

Iuridicialis aſſumptiua græcis προσληπτικὴ 59
Iuridicialis abſolutæ partes & tractatio 58. aſſumptiuæ partes 59
Ius naturæ, legis, conſuetudinis, iudicati, ex æquo & bono, ex pacto 58
Iuſtitia quid, & eius partes 90
Iuſtitiæ partium uſus. 91

L

Laudabile quid 92. quomodo demonſtretur 93
Laudationis tractatio, & loci 97
Laus rerum erternarũ 97. 100. corporis 97. 100. animi 97. 101
Legis uis 58. 91
Legitima conſtitutio quæ, eiusq; partes 48. 49
Legitimæ diſceptationes in Topicis noui appellantur ſtatus 49
Lex quædam de Quæſtionibus 15
Licentia 131
Locus quid 43
Loci artis expertes 46
Loci coniecturales 38
Loci communes ex quibus præceptis ſumantur 83
Loci in memoria quid 106
Loci in qua regione comparandi, & quales ibid.
Longum uitium exordiorum 27
L. Opimius Gracchi interfector 35
Lucius Saturninus. 5

M

Magnificentia 91
Magnitudo uocis 108
M. Antonius 113
M. Lucullus 46
Mediocre dicendi genus 139
in Mediocri dicendi genere quæ uitia uitanda ibid.
Membrum 120
Memoria 18. 89. 104
Memoria aliarum ingenij partium cuſtos 104
Memoria artificioſa 105. ex locis & imaginibus 106
Memoria duplex 105
Memoria eloquentiæ theſaurus ibid.
Memoria naturalis quæ ibid.
Memoria omnes res inuentas conſeruari 104

Memoria ſola ferè in natura dominatur 105
Memoriæ naturalis uirtus duplex ibid.
Memoriæ uſus ibid.
Μερισμὸς 130
Μεσόζευγμα 123
Μεταφορά 128
Μετάστασις 122
Μετωνυμία 126
Milonis & Clodij contentio 35
Μίμησις 134
Mnemoſyne, Muſarum mater 105
Moderatio uocis 108. eius partes ibid.
Mollitudo uocis unde paretur 110. eius partes ibid.
Motus quid 112
Motus corporis quomodo moderandus ibid.
Motuum in cauſis adhibendorum ratio 17
μυκτηρισμὸς 129

N

Narratio 19. 28. 93. 99. 110
Narratio breuis quomodo efficiatur 29. item dilucida ibid. ueriſimilis 30
Narratio in coniectura qualis 38
Narratio quomodo obſit 31. quando nihil proſit 32. quando non opportuno loco ponatur ibid.
Narrationis loci 93
Narrationis uirtutes 29
Narratione an ubique, & quando utendum 30
Narratione ferè deliberatio caret 93
in Narratione quæ uitia potiſſ. uitanda 31
Narrationum genera 28
Naturæ ius 58. 90
Neceſſitas 60
Neceſſitatis tractatio ibid.
Notatio 134
Nominatio 126

O

Occaſio 43
Occupatio 123
οἰκονομία Latinis diſpoſitio 102
Ονοματοποιΐα 126
Oratio 12
Oratio ne apparata eſſe uideatur 26
Orationis partes duæ ad motum animi ualent [illegible]. ad faciendam fidem quatuor

tuor ibid.
Orationis partes in genere deliberatiuo 93. & demonſtratiuo 98. iudiciali 19
Orationis formæ ſeu genera 56
Orator quis, & quod eius officium 12. 17, Oratoris materia quæ 12. eiuſdem opus 13
Oratoris uis in quibus ſita 18
Oratori prudenti duo agenda 19
Oratorem in nulla certa materia uerſari 13
Oratorum & dialecticorum propria 11
Oreſtes 37
Oreſtis & aduerſariorum contentio 33
Ornatus duplex. 113

P

Pactum quid 58
Pacuuius poëta tragicus 72
παραβολὴ 134
Παράδειγμα ibid.
Παράληψις 123
Παρανομασία 121
παροιμία 129
Παῤῥησία 131
Partitio 19. 32. 100. eius partes 33
Partitionis uſus 32. 94
Patientia 91
Peculatus 55
Περίοδος 120
Περίφρασις 127
Permiſsio 124
Permutatio 129
Peroratio 19. 82. eius partes ibid. & 112
Peroratio generis demonſtratiui, eiusq; partes 102
Perſeuerentia 91
Perſona, & eius loci 39
φρόνησις 31
πίστεις ἄτεχνοι, Latini locos inartificiales 46
Platonis Philebus 105
Plauti propoſitio, & ratio infirma 71
Πλοκὴ καὶ ἐπάνοδος 117
Poëtæ quaſi alia quadam lingua loquuntur 115
Poëtica uerba uſurpanda ab oratore 114
πολύπτωτον 117
Πολυσύνδετον 125
Præciſio ibid.
Principiũ qd 20. eius loci 22

Princ

*Principium quale eſſe debeat* 93
*Principia trium rerum gratia ſumuntur* 22
*Probabile in cauſa coniecturali* 39. *eius partes ibid.*
*Pronominatio* 126
*Pronunciatio* 18.107
*Pronunciatio in quibus omnis conſiſtat* 107
*Pronunciationis uſus ibid.*
προοίμιον 20
*Propoſitio* 32.67.68
*Propoſitio uitioſa quæ* 70. 71
*Propoſitionis ratio* 67.68
*Propoſitum* 13
προσληπτικὴν Latini *iuridicialem aſſumptiuam* 59
Προσωποποιΐα 135
*Proſopopœiæ in narratione potißimum cauendæ* 31
*Prouidentia* 89
*Prudentia, Græcis* φρόνησις 31
*Prudentia quid* 89. *eius partes ibid.*
*Prudentiæ partiũ uſus* 90

Q

*Qualitatis cõſtitutio quæ* 38
*Quæſtio* 13
*Quæſtio ciuilis* 13.33
*Quæſtio finita* 13.15. *infinita* 13.14
*Quæſtio in oratore* 13
*Quæſtio iudicij, & Græcis, &* Latinis *quid* 35
*contra Quæſtiones quomodo dicendum* 47. *à quæſtionibus ibid.*

R

*Ratio honeſta quæ* 94
*Ratio infirma* 71. *eius formæ* 72
*Ratio tuta quæ* 94 *uana* 71. *uitioſa ibid.*
*Ratio in iudicatione* 35.36
*Rationis confirmatio* 67.68
*Ratiocinatio* 40.118
*Ratiocinationis ſtatus* 56. *& tractatio ibid.*
*Rectum, eiusq; diuiſio* 89
*Reduplicatio* 123. *uſus eius ibid.*
*Remotio criminis* 63. *eius tractatio ibid.*
*Remotum genus narrationis* 28. *remotum quare dictum, eiusq; duo genera, & uſus ibid.*
*Repetitio, eiusq; uſus* 117

Repetitio Demoſtheni & Ciceroni familiaris ibid.
Rhetor eloquentiæ interpres 12. uis & officium eius ibid.
Rhetorica quid, & unde dicta 12. eiuſdem partes 18
Rhetorica quibus conſummetur ibid.
Rhetoricæ & dialecticæ diſcrimen 11
contra Rumores quomodo dicitur 48
à Rumoribus quomodo dicitur ibid.

S

σαρκασμὸς 129
Scripti tractatio 50
ex Scripto & ſententia ſtatus 49
Seiunctio 33
Sententia 119
Sententiæ tractatio 51
Sententiarum ornamenta quæ 130
Separatum uitium exordiorum 27
Sermo, eiusq; diuiſio 110
Sermo Latinus, & perſpicuus, unde diſcatur 114. quibus uerbis cõſtet ibid. eius uitia 115
Sermo lenis in exordijs 26
Sermocinatio 135
Significatio 136
Signum 43. eius partes, & tractatio ibid.
Signa quid efficiant 45
Simile uitioſum 77
Similiter cadens, uel deſinens 121
Similitudo quid 134
Similitudines duplices 107
Similitudines rerum quomodo conſtituantur ibid. item uerborum ibid.
Simonides ibid. primus artẽ memoriæ protulit 105
Solœciſmus 115
Sophiſta quis, & quod eius officium 12
Σωρέιτης 122
Spacium quid 43
Spes celandi ibid.
Spes perficiendi ibid.
ςάσις 34. 35
Status quid 35. eius partes 38
Status coniecturalis 38. legitimus 38. 48. iuridicialis 38. 57
Status tres ne an quatuor 38

Status

Status unde naſcatur 35
Status ex quibus emanant ibid.
Stylus optimus dicendi effector 19
Suaſori quæ ſint uidenda 87
Subiectio 121
Sulpicius 77
Superlatio 127
Συγχώρησις 124
Συμπλοκὴ 117
συμβουλευτικὸν καὶ δημηγορικὸν genus cauſæ 16. 85
Συναθροισμὸς 132
Συνεκδοχὴ 127
συνέχον 36
Συνωνυμία 124
T
Ταπείνωσις ſeu μείωσις 131
Temperantia, eiusq; partes 92
Temperantiæ partium uſus ibid.
Tempus 43. quomodo quæratur 44
Tenue dicendi genus 138
in Tenue dicendi genere quæ uitia cauenda ibid.
Teſtes Græcorum 46
contra Teſtes quomodo dicatur ibid. item à Teſtibus ibid.
θέσις, eiusq; diuiſio 141
Threſpontes 73 inde
Traductio 117. poëtis quid ibid.
Tranſgreßio 127
Tranſitio 122
Translatio quid 128
Translatio criminis 64 eius tractatio ibid.
Translatio ſtatus 55. eius tractatio ibid.
Translationis criminis loci communes 65
Translatum uitium exordiorum 27
Turpe genus cauſæ 21
Tuta utilitas quæ 88. eius partes ibid.
Tutæ rationis uſus, & loci 94. 95
V
Verba uſitata, & propria 114. item ſimplicia & coniuncta 113
Verborũ ornamẽta quæ 116
Vim dicendi quæ aſſequi poßint 18
Vincendi, ratioq; perſuadendi, in quibus poſita 34

Vis

*Vis oratoria* 11
*Vis quomodo ſecernatur* 88
*Vituperatio quid* 96
*Vituperationis tractatio, et loci* 97
*Vocis in dicẽdo uirtutes* 111
*Vocis moderatio* 108. *eius partes* ibid.
*Vſus generis demonſtratiui* 96
*Vtilitas* 88. 94
*Vtilitas duplex in ciuili conſultatione* 88
*Vtilitatis diuiſio* 94
*Vulgare uitium exordiorum* 27

Z

*Zethei Pacuuiani cum Amphione certamen* 76
ζήτημα πολιτικὸν 13

FINIS.